POEMATVM
LAMBERTI LVDOLFI PITHOpœi, Dauentrienſis,

Libri IV,

Ad

1 GVSTAVVM *AB* OSTEN *POMERANVM*,

2 IACOBVM MONAVV VRATISLAVIENSEM,

3 DAVIDEM SIGEMVNDVM CASSOVIENSEM,

4 *ADRIANVM* BORCK POMERANVM.

NEAPOLI NEMETVM,

Typis Matthæi Harniſch.

HERMANNVS VESPASIVS SVO LAMberto Pithopœo S.

CVM tua manſuro committes carmina prælo,
Quæ tibi de pleno dulcia fonte fluunt,
Et ſerie lõga multos memorabis amicos,
Me ſine poſtremo nomen habere loco.

Roſtochij idib. Ianuar.
Anno 1558.

ROMA

LAMBERTVS PITHOpœus ſuo Hermanno Veſpaſio S.

CVm mea committam perituro carmina prælo,
Quæ mihi de vena paupere dura cadunt,
Et ſerie parua caros memorabo ſodaleis,
Stabis in his primo Veſpaſiane loco;
Vota tua euentus, promiſſaq; noſtra ſecundat;
En legeris primo Veſpaſiane loco.

Neapoli Nemetum, kalend. Maij,
Anno 1582.

HERMANNVS VESPASIVS SVO LAMberto Pithopœo S.

CVM *tua manſuro committes carmina prælo,*
Quæ tibi de pleno dulcia fonte fluunt,
Et ſerie lõga multos memorabis amicos,
Me ſine poſtremo nomen habere loco.

Roſtochij idib. Ianuar.
Anno 1558.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

LAMBERTVS PITHOpœus ſuo Hermanno Veſpaſio S.

C*Vm mea committam periturо carmina prælo,*
Quæ mihi de vena paupere dura cadunt,
Et ſerie parua caros memorabo ſodaleis,
Stabis in his primo Veſpaſiane loco;
Vota tua euentus, promiſſaq́ noſtra ſecundat;
En legeris primo Veſpaſiane loco.

Neapoli Nemetum, kalend. Maij,
Anno 1582.

LAMBERTI LVDOLFI PITHOPOEI, Dauentrienſis, Poematum liber primus.

SACRA.

AD GVSTAVVM AB OSTEN POMERANVM.

Sacra tibi, Guſtaue, placent; ſacra carmina mittens
Principium à Chriſto noſtra Thalia facit.

Ad Chriſtum, Vt præſtò ſit in ſtudijs & ſcribendis carminibus.

AEterni effigies, λόγ☉, & ſapientia Patris,
Chriſte, tuo noſtris facilis, precor, annue votis
Numine, da ſtudijs optatam attingere metam
Poſſe meis. nam te ſine, nil induſtria quidquam
Humana efficiet; noſter nil cura laborq́;,
Chriſte, nihil prodeſſe tuo ſine numine poſſunt.
Et vis, & potis es, Chriſte, exaudire precantem,
Et te, Chriſte, iuuat, demiſſa voce rogari,
Et ſcis, auxilium te promiſiſſe petenti.
Ergo ne iuuenem, ne deſere, ſupplice qui te
Mente, fideq́; vocat non ficta; has ſuſcipe vultu,
Chriſte preces placido, & iuuenis ne reſp[illegible] vota.

Non

Non ego diuitias, aurum, gemmásue nitenteis,
Mobilis aut quidquid cupit imprudentia vulgi,
Non ego, quæ ſeros nequeant durare per annos,
Expeto, ſed longè meliora his munera poſco,
Quæ non argento, non æquiparanda coruſco
Sint auro, non culminibus regumq́; triumphis,
Non, quidquid totus pretioſum iudicat orbis;
Scilicet, alme tuo vt me flamine, Chriſte, gubernes,
Qui iuuenis ſacro colluſtret lumine mentem,
Vt didiciſſe queam doctas feliciter artes,
Quîs ſine non plenè tradi tua dogmata poſſunt,
Nec Patris æterni cognoſci certa voluntas,
Quîs ſine, diſcentes tua, Chriſte, oracula cœtus,
Nec manet in ſolito conſtans Reſpublica flore.
Da quoq;, da vires, largamq́; in carmina venam,
Vt celebrare tuas poßint mea carmina laudes,
Magnorumq́; canam præclarè geſta virorum,
Vel rigidi Martis, vel læta tempore pacis.
At licet, haud dignè, fatear, me poſſe referre
Laudes, Chriſte, tuas, tamen hoc lætaris honore,
Si te carminibus iuuenes celebrare laborent.
Ergo, Chriſte, mei ſtudij, te quæſo, labores
Fortuna, facilesq́; iuua me ſcribere verſus.

Vvittembergæ, kalend. Mart.
Anno 1559.

IN NOVI TESTAMENTI NOVÆ THEODORI Bezæ à Melanchthone & Ebero commendatæ translationis, & in illam annotationum abſolutam perlectionem.

AT tibi, ſumme Deus, tãto pro munere grates,
Quas poſſum, toto pectore lætus ago,
Nempe, quòd extremo cùm iam ſub fine laboret
Hæc mundi varijs machina feſſa malis,
Cunctaq́ præcipiti retrò labentia curſu
In peius rapidæ more ferantur aquæ;
Incorrupta tuæ nobis oracula legis,
Inuicta clemens vſq́ tuëris ope,
Atque alios alijs extrema ab origine mundi,
Doctrina inſigneis & pietate viros
Submittis, populo ſacri qui dogmata verbi
Declarent magna relligione tuo.

Eitelbergæ, III. kalend. Mart.
Anno 1570.

In Sacra Biblia.

Ex alijs paleæ viles; hinc grana leguntur
Aurea; tu paleas linquito, grana lege.

Eitelbergæ, XII. kalend. Ianuar.
Anno 1566.

Lucæ 24. Mane nobiſcum Domine &c.

VLtima deliri venit iam veſpera mundi,
Ah pie nobiſcum Chriſte manere velis;
Protege ſeruantem cœtum tua dogmata; lucem,
Chriſte, iuua verbi nos retinere tui.

Vvittembergæ, kalend. April.
Anno 1559.

In glorioſiſsimam & lætiſsimam D. N. I. C. Reſurrectionem, ad Iohannem Bocerum.

ANnua iam redeunt Paſchalis gaudia feſti,
Quo Chriſtus Stygio victor ab hoſte redit.
Hæc eſt illa dies toties optata Prophetis,
Et patribus toties antè petita pijs.
Hæc hominum verè eſt æterna cauſſa ſalutis,
Hæc nobis vitam iuſtitiamq́; dedit.
Hac reſerata die cœleſtis ianua regni,
Quæ fuerat noſtro crimine clauſa, patet.
Hac eſt clauſa die Lethei ianua regni,
Quæ prius humano crimine aperta fuit,
Damnaq́; quæ primus mortalibus intulit Adam,
Hæc [illegible]cta à Chriſto ſunt reparata die.

Hac placata die, qua totum abiecerat orbem,
Ira Dei, in pœnas exitiumq́; graue.
Reddita nunc miſeris pax eſt mortalibus; omnis
Ceſſit ab irato pœna minaq́; Deo.
Te duce, Chriſte, tuo nunc conciliata Parenti
Natura eſt hominum, te duce, læta canit.
Hac Patris æterni fauor & clementia mundo,
Hac diuina iterum gratia luce redit.
Hac ſublata die dira maledictio Legis,
Amplius haud vireis exſerit illa ſuas.
Qui priùs, heu, miſeros homines damnare Tyrannus
Suêrat, & in Stygios præcipitare lacus,
Ille hac, Chriſte, die eſt à te peſſundatus, ille
Hac tibi, Chriſte, die colla premenda dedit.
Quiq́; priùs totum miſerè tremefecerat orbem,
Plena loca inſidijs omnia cuius erant,
Is, rex Chriſte, tibi deuictus porrigit herbam,
Cogitur imperio & ſubditus eſſe tuo,
Is Phlegethontæas à te detruſus in vndas,
Vincla ferens nunquam diſſoluënda iacet.
Hunc tua ſic domuit diuina potentia, vires
Huius ita imminuit dextera, Chriſte, tua,
Eius vt haud metuant, freti te principe Chriſte,
Robur & inſidias, multiplicesque dolos,
Chriſte tuo gaudent qui nomine cunque vocari,
Et te ſincera mente fidéque colunt.
Hæc eſt illa dies, primo promiſſa parenti,
Cùm foret æternum lapſus in exitium.

Quæ

Qua fore prædictum, vt ſemen muliebre veniret,
Chriſtus id eſt, pura virgine natus homo,
Qui proprio, Stygij regnúmque capútque Draconis,
Peccatum & mortem, robore contereret.
Hac tibi luce, tua eſt ablata, Inferne, poteſtas,
Faucibus erepta eſt ſplendida præda tuis.
Hac ſunt luce tua vires, Mors aſpera, fractæ,
In genus humanum quîs violenta furis.
Morte ſua Chriſtus ſic te, Mors, vicit, vt in nos
Sit ſuper haud vllum ius regimenque tibi.
Dic, Inferne vorax, tuus eſt vbi morſus, hic orbis
Quo miſerè totus penè peremtus erat?
Dic, vbi, Mors, truculenta, tua eſt victoria, toto
Qua fermè interijt quidquid in orbe fuit?
Dic, tuus eſt ſtimulus, Peccatum, vbi, dic age, cuius
Saucia lethifero vulnere corda pauent?
Dic, vbi Lex tua ſunt horrenda tonitrua, ſæua
Fulmina nunc vbi ſunt & maledicta tua,
Quîs eheu totum damnas atrociter orbem,
Detrudísque nigri ſub Phlegethontis aquas?
Nuſquam. Peccatum, Satanas, Infernus, & atra
Mors, & Lex, Chriſti ſanguine victa iacent.
Dirus tartarea ſerpens immerſus abyſſo,
Aeterno eſt vinctus colla ſuperba iugo.
Funditùs ignita eſt Inferni euerſa rapacis
Regia, nil, quo ſe iam tueatur, habet.
Fractaque terrificæ lethalia ſpicula Mortis
Iam ſunt, iam Mors eſt viribus orba ſuis,

Abſorpta à Chriſto eſt ſæua victoria Mortis,
Dum fera cum triſti prælia morte gerit.
Peccati domita eſt regnantis ſæua tyrannis,
Amplius haud in nos ius tenet illa ſuum.
Iam quoq; terribilis vis atq; potentia legis
Exſtincta eſt tandem ſanguine, Chriſte, tuo.
Hoc, hoc veridici quondam cecinêre Prophetæ,
Inſtinctu moti, Spiritus alme, tuo.
Eſaiæ inprimis ſocius diuinus Oſeas
Pectora ſic ſacro pneumate plenus ait;
Eripiam de Morte meos, ero Mors ego Mortis,
O Inferne tuus dire ego morſus ero.
Aſt omnes, æterne Deus, tibi pectore toto
Pro tantis grates dicimus officijs,
Tanta quòd in tantos data ſit victoria nobis
Hoſtes, auſpicio præſidioq; tuo,
Atq; id per Ieſum Chriſtum, noſtrum eſſe fatemur
Quem Dominum, & verum credimus eſſe Deum.
Nulla quòd his igitur ſit condemnatio, ſummum
Qui recta celebrant relligione Deum,
Quiq; colunt vera Chriſtum pietate fideq;,
Et ſoli norunt fidere, Chriſte, tibi,
Nullaq; Chriſticolas Stygij metuenda Draconis,
Nulla quòd inferni perdere tela queant;
Quodq; nihil metuant truculentæ ſpicula Mortis
Inniti ſoli turba perita Deo;
Triſtia lethiferi minimè quòd vulnera poſthac
Peccati ſanctos interimantq; pios,

Quodq́ in Chriſtigenas maledicta & triſtia Legis
Fulmina, vim nequeant exſeruiſſe ſuam,
Præſtitit iſta dies. Tot tantaq́ munera mundo,
Præſidio Chriſti, lux hodierna tulit,
Qua rupto Inferno, ſuperatis Morte perenni,
Lege ac Peccato, Tartareoq́ duce,
Chriſtus ouans rediјt ſuperas rediuiuus in auras,
Victrici geſtans parta tropæa manu.
Salue feſta dies, meliorque reuertere ſemper,
A populo Chriſtum digna colente coli,
O meritò niueis lux aſſignanda lapillis,
Et fortunatas inter habenda dies,
O meritò auratis lux hæc ſcribenda figuris,
Et primum in faſtis digna tenere locum.
Chriſtiadum ſemper multis Eccleſia ſeclis
Antè piè ſolita eſt hanc celebrare diem;
Hac gaudere die, hac victori carmina Chriſto
In templis ſueuit læta ſonare ſacris,
Et meritas toto grates Eccleſia Chriſto
Pectore pro meritis reddidit vſq́ ſuis,
Scilicet humani generis quòd ductus amore,
Antè quod ad formam finxerat ipſe ſuam,
Et quod iam Stygiј ſeductum erat arte Draconis,
Aeternæ mortis ſuppliciјque reum,
Cuius non poterat quiſquam ſuccurrere damnis,
Et gratam, afflictis reddere rebus opem,
Filius æterno natus genitore, caducos
Artus humani corporis induerit,

Et tandem horrendos paſſus ſit mente dolores,
Cùm fluerent guttæ corpore ſanguineæ,
Cùm proſtratus humi, metuendam cerneret in ſe
Effuſam eſſe iram iudiciúmque Patris,
Omnia totius ſcelerati crimina mundi
Senſit quando humeris impoſita eſſe ſuis,
Tum quoque, quòd tulerit cruciatus corpore diros,
Membra quòd indignis ſint lacerata modis,
Vulnera cùm ſenſit, plagáſque in fronte cruentas,
Spinea cùm capiti eſt fixa corona ſuo,
Purpureus toto & manauit corpore ſanguis,
Hiberna veluti flumina adaucta niue;
Cúmque ipſe ingenti geſtaret pondere lignum,
In quo mox animam depoſiturus erat,
Cùm validis miſerè clauis pertuſus vtramque
Palmam, perque eſſet foſſus vtrumque pedem;
Denique cùm toto nulla eſſet corpore Chriſti
Pars, quæ non miſerè dilaniata foret;
Noſtráque quòd propter ſublimi crimina mortem
In cruce pro nobis pertulit immeritam,
Atque ob iuſtitiam quòd noſtram ex morte reuixit,
Sol vbi ter mundo lumina reddiderat;
Chriſto his pro meritis grates Eccleſia ſemper
Egit, nunc igitur nos faciamus idem,
Ac ſimul vnanimes victori carmina Chriſto
Cantemus, Chriſti turba redemta nece.
Hac etenim ad ſuperos rex Chriſtus luce triumphans
Deuictis Satana, Morte, Erebóque redit.

Hunc

Hunc merito Dominũ ac Regem veneremur honore,
Vita, duce hoc, nobis contigit atque ſalus.
Hunc vnum pura nunc mente vocemus, & huius
Nitamur meritis non dubitante fide.
Huic meritas toto dicamus pectore grates,
Quòd ſcelera abſterſit ſanguine noſtra ſuo,
Et quòd morte ſua, reditúque ex morte parauit
Chriſtiadis facilem lucida ad aſtra viam.
Id nos Chriſte iuua, noſtráſque accendito mentes,
Et ſancto illuſtra flamine, Chriſte, tuo,
Vt tua nos merita aſſiduè cantare queamus,
Ac memori mortem mente referre tuam,
Paſchalíſque piè celebremus gaudia feſti,
Noſtra ſit in laudes lingua diſerta tuas.
Serua etiam tua diſcentes oracula cœtus,
Et Laciburgiacam Chriſte tuëre ſcholam.
Diuinos inter memorande BOCERE *poëtas,*
Quos Latium atque potens Teutonis ora tulit,
Hæc vultu placido, gratam teſtantia mentem
Accipe diſparibus verba ligata modis;
Simqúe tuos, ſinito, minimus ſaltem inter amicos,
Atque iuua ſtudium docte BOCERE *meum.*
Sic hilarem multos ſeruet te Chriſtus in annos,
Sic tribuat vitæ proſpera fata tuæ.

Roſtochij, IV idus April.
Anno 1558.

ΕΚΛΟΓΕΙΟΝ ET PARAPHRASIS IN SYMbolon Clariſsimi virtute & doctrina viri, D. Iacobi Monavv, Patricij Vratislauienſis, Domini mihi meritò colendi atque amandi, & amici veteris atq; conſtantis, deſumtum ex Pſalmi 36. v. 5.

IPSE FACIET.

Efera dum totum diſcordia concutit orbem,
Et nuſquam tutum pax habet alma locum;
Impietas fuco & titulis velata ſuperbis
Dum tenerum miſerè vaſtat ouile Dei;
Bella, fames, terræ motus, incendia, peſtes,
Incutiunt trepidum dum mihi cuncta metum;
Dum me dilecta ſpoliat mors coniuge, & intrant
In thalamos etiam publica damna meos;
Ambitio atq; bonos vexandi dira libido,
Et rapere iniuſta ſceptra ſuperba manu,
Inſidiæ, fraudes, periuria, ſtupra, tyrannis,
Faſtus, liuor iners, ardor & angor opum,
Et genus omne mali pariter, velut agmine facto,
Dum miſcent terris aſtra, profana ſacris;
Perruptisque palàm naturæ & legibus æqui,
Dum probitas eſt & nomen inane fides;
Dum toto paſsim creſcit gens impia mundo,
Cui Deus eſt venter, relligioque λόγοι,

Cui

Cui nihil eſt cœlum, nil ſunt, niſi fabula, manes,
Quæque, regens terras numen inane putat;
In peius dum cuncta ruunt, ſublapſaque retrò
Quotidie rapidæ more feruntur aquæ,
Expulſoque procul veri & diſcrimine falſi,
Et longùm iuſſa voce valere Dei,
In commune nefas odijs certatur & aſtu,
Nec pia, vbi tutò mens requieſcat, habet;
Denique, perfractis cœli compagibus, æther
Terraque in antiquum mox reditura chaos,
Totaque dum mundi iam machina iamq; videtur
In latus & noſtrum corruitura caput,
Et tam præcipiti curſu, tantoque malorum
Agmine, ſpes certæ nullæ ſalutis adeſt,
Nec patet in terris miſeri mortalibus æui,
Auxilio quidquam conſilioque loci:
Hos inter mundi ſtrepitus, triſteisque tumultus,
Tot gemitus, curas, damna, pericla, dolos,
Solius in Domini gremium iactare labores,
Et curas æquo pectore diſco meas.
Ille mea fuit, eſt, & erit ſpes vnica ſemper,
Ancora dux, vector, portus & aura rati;
Ille, ſcio, efficiet, nec me ſententia fallet
Hæc vnquam, ipſius numine nixa Dei.
Is ſine me, in Chriſto iam tunc me legerat, eſſent
Cùm tellus nihil, & pontus & aſtra nihil;
Is ſine me, pontum terramque creauit & aſtra
Ex nihilo, verbo cuncta potente ſuo;

Is ſine me, multis annorum millibus aſtra,
Inuictáque fretum ſeruat alitque manu;
Is ſine me, hîc ſemper, Satanæ inuitíſque tyrannis,
Collegit, faceret qui ſua iuſſa, gregem;
Is ſine me, hunc proprij mundatum ſanguine gnati,
Participem vitæ iuſtitiæque facit;
Is ſine me, Satanæ cernit, non approbat, auſus,
Et Satanæ, vindex, impia cœpta gregis;
Is ſine me, poſuit metas, vbi, tempore quanto,
Curque malos velit, & quo tolerare modo;
Is ſine me, cùm nil eſſem, mihi matris in aluo.
Motus & mentis ſemina prima dedit;
Is ſine me, grauidæ clauſum me carcere matris
In liquidas iuſsit luminis ire vias;
Is ſine me, Chriſtum vitæ ſolumque ſalutis
Gratuito auctorem munere noſſe dedit,
Is ſine me, varijs merſo mihi penè procellis,
Auxiliatrices præbuit vſq; manus;
Is ſine me tutum, & tranquillo rebus in arctis
Pectore, præſidio præſtitit eſſe ſuo;
Is ſine me, prætérque meam ſpem, præter & omne
Iudicium mentis conſiliúmque meæ,
Hactenus vſque ſua bonitate & motus amore,
Exſarſit multis plurima damna bonis.
Ergo metu poſito vano, curáque futuri
Immodica, reliquum tradere pergo Deo.
Ipſe, ſcio, efficiet deinceps quoque cuncta ſaluti
Commoda quæ verè nouerit eſſe meæ;

Ipſe,

Ipſe,bonum faciet,mea quò contingere finem
Concepta ipſius numine vota queant;
Ipſe,ſcio,efficiet,quoniam mihi velle benignus
Iam dedit,vt faciam,quæ mihi velle dedit,
Sincereq́; velim,& peragam conſtanter id omne
Omnibus in cœptis conſilijsq́; meis,
Quod vult ipſe,ſuæ quod laudi conuenit,& quæ
Grata ſibi,verbo me docet eſſe ſuo;
Et,quoniam facit hæc,facietque is,ſidera cuius
Vnius arbitrio ſtant,mare,terra,Deus,
Parce metu mea mens nimio,tranquillaq́; fraudes,
Et tumidas hominum ſpernere diſce minas;
Sperne minas hominū:nihil hi,niſi puluis, & vmbra
Somnia,ridiculi & fabula plena metus;
Ipſe,ſcio,efficiet,triſti diſcrimine rerum
Adferat vt certam ritè vocatus opem;
Quinetiam fractus ſubitò illabatur vt orbis,
Impauidum feriat tanta ruina caput;
Ipſe,ſcio,efficiet,ſolius ſanguine Chriſti
Vt mea perpetuò crimina lota ſciam.
Hanc mihi notitiam clemens,hanc ſpemq́; fidemque
Extremum vitæ tempus adusq́; meæ
Seruabit,Satana inuito,Satanæque miniſtris,
Nec quidquam hos in me iuris habere ſinet;
Iſtius & tandem ereptum de turbine ſecli,
In cœlum & cœli gaudia vera feret.
Hanc igitur placidè expectans horamque diemque,
In Domino vitæ munus obibo meæ.

Hac ego ſeu firmo poßim comprendere ſenſu,
Siue meæ non ſint hæc rationis opus;
Ipſe tamen certò faciet, quia fallere neſcit,
Promiſſamque ſemel, præſtat & auget opem.
Huic ſoli mea, me, prece ſupplice trado regendum,
Vſq; meum repetens, I P S E, S C I O, E F-
F I C I E T.

Hanc meam quoq; tenuem collectulam ad pręſtantiſsimas clariſsimorum & doctiſsimorum virorum Symbolos in Symbolon & Lunas D. Iacobi Monavv cõferebam Neapoli Nemetum, a.d. XII. kalend. Sextileis anni à nato Chriſto CIↃ. IↃ. XXCI.

TOBIAE LIBER ELEGIACO CARmine redditus.

Pietate, doctrina, & generis nobilitate præſtantibus viris, D. Othoni ab Houel, & D. Henrico Heſehuiſs S. D.

HVnc etiam tuti (quis credat?) viximus annũ,
Vnius auxilio, Maxime Chriſte, tuo.
Cernimus, vt totum vaſtans crudeliter orbem
Teutonicos peſtis depopuletur agros.
Bella, fames alios, alios diſcordia perdit.
Vix miſeris requies vix datur vlla mali.
Scilicet id noſtræ meruerunt crimina vitæ,
Iactet vt iratus talia tela Deus.
At tu ſumme parens meritis per crimina pœnis
Ne gregis affligas languida membra tui.
Parce, precor, miſeris, ſua qui delicta fatentur,
Quos, pater, ex animo pœnitet, eſſe malos.
Parce pater, iuſtam: clementia temperet iram,
Et gratam miſeris redde rogatus opem.
Regnaq́; dum totum trepidant quaſſata per orbem,
Arua Palatini protege clara Ducis,
Qui gerit optatæ Fridericus nomina pacis,
Et iuſta Reni lance gubernat aquas.
Ille ſacris clemens ſedes & tecta miniſtrat
Cœtibus, ille pias curat amatq́; ſcholas.

Hos cœtus ſanctoque Scholas cum Principe ſerua,
Floreat vt vera relligionis honos.
Talia per noctem cùm mens mea volueret, anni
Vltima quæ lapſi, prima ſequentis erat:
Quinque ter exierant à nato ſecula Chriſto,
1563 *Ter ſenis annis luſtraque iuncta nouem.*
Ergo nouæ quoniam nobis rediêre Kalendæ,
Qui ſua de Iano nomina menſis habet:
Cuncta tibi toto cedant feliciter anno
Ottho, precor, magnis Ottho probate viris;
Tu quoque, tu totum felix, Henrice, per annum
Omnia pro votis experiâre tuis.
Dona pijs, fateor, debebam iungere votis,
Sed malè diuitibus donat egenus opes.
Vos animum potiùs memorem, quàm dona, probate
Præſtantes animis & pietate viri.
Strena ſit hic vobis, quem mitto, cara libellus,
Qui nati Tobiæ narrat & acta patris.
Hunc tenui quondam conuerti carmine, Muſis
Cùm daret hoſpitium Leucoris alma meis.
Non ſunt hæc meritis æqualia carmina veſtris,
Sunt animi tantùm nuntia ſigna mei.
Vt varijs veni fatis iactatus, ad vrbem,
Inclyta quæ Sacri nomina Montis habet;
Primus Otho gratas Pithopœum ducis in ædeis,
Et recreas longa languida membra uia.
Pòſt, vbi monſtraſſent ſedes mihi fata quietas
Ad Nicrum, ſacræ quà rigat arua ſcholæ:

Cum

Cum fida vitæ ſocia, paruoque reliqui
Chriſtophoro patriæ mœnia cara meæ.
Hîc mihi quàm gratos præſtas, Henrice, labores,
Magne vir ingenio, nec pietate minor!
Exhilaras varijs mœrentia pectora curis,
Et quacunque potes parte iuuare, iuuas.
Pro tantis, fateor, meritis, ſemperque fatebor,
Prœmia non opis eſt reddere digna meæ.
Ergo mei certum Tobias hic pignus amoris,
Strenaque ſit vobis paruula, ſtrena tamen.
Exiguum veteris ne ſpernite munus amici.
O mihi non ficta pectora iuncta fide.
Quod ſupereſt, longæ felicia tempora vitæ
Viuite, Vueſtualici lumen vterque ſoli.

kalend. Ianuar. anni à nato Chriſto
cIↃ. IↃ. LXIV. Oppenhemij.

TOBIAE LIBER.
Cap. I.

VRbs antiqua fuit, ſancti tenuere coloni,
Nephthalis, ex clara nomina ſtirpe gerens,
Editiore loco ſita quæ Galilaidos oræ,
Naſſanios ſupra, mœnia tollit, agros,
Occiduum vicina viæ, quæ ducit ad æquor,
Et læuum claudit Sephetis alta latus.
In quoque biſſenis patre Iſraële creatis,
Nephthalis vna fuit nomen adepta, tribus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Huius ſtirpe tribus Tobias oriundus, & vrbe,
Salmaſari captus tempore regis erat.
Iſacia denas de gente abduxerat ille
Oppreſſas armis in ſua regna tribus.
At quamuis patrijs ageret procul exſul ab oris,
Non tamen à vero deficit ipſe Deo.
Nephthalicis proprio quæcunq; labore parârat,
Captiuis ſecum fratribus illa dabat.
Cumq; ſuos annis inter foret infimus omneis,
Egerat in vita nil puerile ſua.
Ante gerens annos animum curamq; virilem,
Moribus ætatem uicit & ingenio.
Ieroboami alijs idola colentibus, ipſe
Haud tantæ conſors impietatis erat:
Sed Domini templum Solyma viſebat in vrbe,
Iſraël orans ritè colensq; Deum.
Primitias etiam promto, decimasque ferebat
Pectore, quas Moſis dogmata ferre iubent.
Ac, quoties ſolito ſua per veſtigia curſu
Menſibus exactus tertius annus erat;
Leuitis decimas, qui tractant ſacra, parente
Orbatis, viduis, hoſpitibusque dabat.
Talia ſeruabat iuuenilibus impiger annis,
Præter & hæc quidquid lex iubet alma Dei.
Grandior hinc factus, caſto ſibi iungit amore
Annam, Nephthalica quæ fuit orta tribu.
Hæc genitum Tobiam, Dominum reuerenter amare
A puero, & vitijs abſtinuiſſe docet.

Pòſt

Poſt captus, Niniuen cum nato & coniuge venit,
Cumque ſua tota poſteritate tribus.
Ethnica dum reliqui comedunt hîc fercula, ſolus
Se vetitis nunquam polluit ipſe cibis.
Ergo Deum tota Tobias quia mente timebat,
Præmia conſtanti pro pietate tulit.
Captiuos Regi ante alios fit carior omnes;
Sic ſibi, fidentes curat amatque Deus.
Liber vt iret enim licuit, quocunq; lubebat,
Et res curaret, Rege probante, ſuas.
Sedulus ad captos igitur proficiſcitur, illis
Re ſimul & verbo triſtia uincla leuans.
Vt Rageſam venit Medorum, dena talenta
Argenti ſecum munera Regis habens;
Gabelo, reliquos quem conſpicit inter egentem,
Chirographo ſumto, dena talenta dedit.
Intereà multo tranſacto tempore, venit
Salmaſaro vitæ meta ſuprema ſuæ.
Regia Sennacherib poſt patrem ſceptra capeſſit,
Inuiſum Iſraël cui genus omne fuit.
Nec minùs afflictos Tobias ſolatur Ebræos,
Deque ſuis, tribuit munera cuique bonis,
Duraque quos miſerè victus affligit egeſtas,
His gratas promtus ſufficit ipſe dapes.
Suppeditat nudis veſtes, defunctaq; vita,
Efficit, vt tumulo corpora terra tegat.
Tunc quoq;, Sennacherib Solyma cùm pulſus ab urbe
(Victus vbi Domino belligerante fuit,

Impia quòd ſanctam fundens conuicia in vrbem
Blaſphemo Iſrael læſerat ore Deum)
Iratus Niniuen rediens mactaret Ebræos,
Illorum Tobias membra tegebat humo.
Tam pia cum Tobiæ didiciſſet facta tyrannus,
Mandat, vt huic omnes eripiantur opes.
Confeſtim ergo fugit nato comitatus & Anna,
Et fide amicorum tutus ab hoſte latet.
At nouies quinis elapſis inde diebus,
Cæſus vt à natis Rex erat ipſe ſuis,
Ad ſua regreditur Tobias, atque inſuper ipſi,
Vi prius ereptæ, reſtituuntur opes.

II.

Pòſt hæc ampla parans feſta conuiuia luce,
Alloquitur gnatum talibus ipſe ſuum:
Ex noſtro Domini metuunt qui ſanguine numen,
Nec dant externo thura preceſue Deo,
Vt poſitis dapibus nobiſcum plena fruentes
Gaudia percipiant, vade, age gnate, voca.
Dixerat. ille patri paret, rediensque peremti
Nuntiat in media membra iacere via.
Exſilit extemplò Tobias, epulisque relictis,
Arripit occiſum ſub ſua tecta virum.
Mox epulans votis vocem meditatur Amoſi,
Luce ſacra vobis nil, niſi luctus, erit.
Ac ſimul occiduas Sol iſſet pronus in vndas,
Impiger occiſi contegit oſſa ſolo.

Hæc

Hac taxant Tobiæ cognati, facta, ſed ipſe
Non vult plus Regem, quàm timuiſſe Deum,
Cæſorumq́; ſuis illata cadauera tectis,
Nocte ſub effoſſa clàm tumulabat humo.
Fortè domum rediens, multo laſſata labore
Sub ſua vicino pariete membra locat.
Dumq́; iacet dulci reſolutus lumina ſomno,
Detecto Tobiam cœcat hirundo fimo.
Hoc Deus exemplo, ſanctiq́; oſtendit Iobi,
Quàm placida deceat triſtia mente pati.
Cumque Deum primis Tobias timuiſſet ab annis,
Illius aßiduè ſeria iuſſa colens,
Pertulit hunc etiam caſum patienter acerbum,
Nec iuſto impatiens obſtrepit ipſe Deo;
Sed manet in Domini conſtans firmusque timore,
Et grates, etiam lumine captus, agit.
Vtque pius quondam indignè deriſus Iobus
Regibus, agnatis ſic fuit ipſe ſuis.
Dic, aiunt; vbi nunc tua ſpes, qua motus, egenis.
Fers opem, & abſumtis morte, ſepulcra paras?
Hos Tobias dictis caſtigat; Parcite ſæuis
Vocibus, ex ſanctis gens oriunda ſumus,
Lætaque venturæ ſperamus tempora vitæ,
Quam pro conſtanti dat pietate Deus.
Intereà ſolitos coniunx obit Anna labores
Suſtentatque ſuum ſtamine gnaua virum;
Balantemque domus cùm limine ſiſteret hædum,
Mox Tobias tales edidit ore ſonos;

Anna caue, furto ne res ablata ſit hœdus.
Furtiuas nobis non licet eſſe dapes.
Illa irata refert; Iam ſpe lactaris inani,
Præſtita nec miſeris te benefacta iuuant.
Talibus accepti renouat mala damna doloris,
Et Tobiæ ærumnas exprobrat Anna ſuas.

III.

Ipſe ſed ex imo ſuſpiria pectore rumpens,
Has lacrymis madido fundit ab ore preces;
Iuſtus es, & quæcunq; facis Deus, omnia iuſta,
Nec fallit ſumma cum bonitate fides.
In nos iure tuus furor eſt effuſus, & iſta,
Quæ patimur, fateor, nos mala iure pati.
Nec ferus immeritò patriaque domoque carenteis
Enecat, & noſtras diripit hoſtis opes.
Nos riſus ſumus & peregrinæ fabula genti,
Corpora quæ triſti carcere noſtra premit.
Namq; tuas leges præceptaque ſancta peroſi,
Impia conſpectum fecimus ante tuum.
At mihi ſis clemens, patrum delicta meorum,
Et mea non vnquam commeminiſſe velis.
Vtque tibi viſum fuerit, ſic tranſige mecum,
Qui ſemper miſeris fautor adeſſe ſoles.
Iudicia alme Deus tua ſunt metuenda, repugnant
Præceptis etenim crimina noſtra tuis.
Da mihi, da placida tandem decedere morte;
Amplius ingratum eſt viuere, dulce mori.

Dum

Dum bonus Aſſyria hac Tobias probra ſuſtinet vrbe,
Medorum geritur res regione noua.
Quattuor atq; tribus Raguelis filia ſponſis
In ſocium fuerat tradita Sara torum.
Quos Aſmodaus dæmon ferus abſtulit omneis,
Legitimo cuperent mox vt amore frui.
Idcirco dominam dictis inceſſit acerbis,
Obiurgata leui voce miniſtra ſuam;
Det Deus, vt nullo progignas tempore prolem,
Quæ perdis proprios impia Sara viros.
An ſimili tentas etiam me perdere clade,
Perdere qua ſeptem nuper es auſa viros?
Sic ait. at ſummi ſuperans faſtigia tecti,
Per treis nil comedit Sara bibitue dies,
Aſſiduisq; Deum lacrymis gemituque fatigat,
Ne ſpretam tantis ſe ſinat eſſe malis.
Poſt tres inde dies, gemitu, lacrymisque relictis,
Incipit hac laudes voce referre Dei:
Summe Deus, noſtris patefacte parentibus olim,
Qui dignus toto laudibus orbe vehi,
Nos contra quamuis tua ſæpe exæſtuet ira,
Optatam miſeris attamen addis opem,
Afflictisque, vltrò peccata admiſſa remittis,
Numinis auxilium cùm petiêre tui.
Ad te mœſti igitur conuerto lumina vultus
O Deus, & ſupplex corde gemente precor.
Aut ignominiam tolle hanc & dedecus à me,
Aut mihi tu vitam ne ſupereſſe ſine.

Non petij vetitis flammis accenſa maritum,
Integraque illicito mens ab amore mea eſt;
Turpia ludentum ſemper commercia fugi,
Ac fœdis odi verba referta iocis.
Quòd tamen haud thalamũ ſum dedignata iugalem,
Id vero feci mota timore tui.
Aut ego fortè fui cæſis indigna maritis,
Aut thalamo indigni hi fortè fuêre meo,
Aut alij forſan ſeruor iungenda marito.
Conſilium nouit quis, Deus alme, tuum?
Hoc ſcio, ſincera Dominum qui mente timebit,
Pactaque ſeruabit relligioſa Dei.
Ille coronatus poſt multa pericula vitæ,
Non marceſcentes eſt habiturus opes.
Et varijs ſi ſit vitijs pollutus, eidem
Mox tua, ſi doleat, gratia larga patet.
Nam veniæ locus eſt, & habent peccata regreſſum,
Nec te pernicies noſtra iuuare poteſt.
Imbribus at pulſis tempeſtatumque procellis,
Tranquillum reddis ſole nitente diem.
Cum gemitu lacrymas iucunda in gaudia vertis.
Aeterno Iſrael viuat honore Deus.
Talibus orantes Tobiam Saramque querelis,
Audijt ætheria ſummus in arce Deus.
Nec mora, de cœlo demittitur angelus, arte
A medica Raphael nobile nomen habens,
Vt, quorum fuerat precibus placabile numen,
His vno optatam tempore præſtet opem.

IV.

Exaudita putans Tobias ſua vota, ſupremum
Se ſperat placidè claudere poſſe diem.
Ergo vocans gnatum, monitis hunc implet amicis
Exorſus blanda talia voce loqui;
Accipito hæc animis, fidamque aduertito mentem,
Infigens imis ſenſibus illa tuis.
Hos cùm frigida mors anima ſeduxerit artus,
Tu ſepeli merito corpus honore meum,
Et caram iuſta matrem pietate verére,
Donec in hac mundi fæce ſuperſtes eris,
Sisque memor, quantos fuerit perpeſſa dolores,
Aluo in materna cùm rude pondus eras.
At ſimul hæc etiam mortaleis liquerit auras,
Illius ad tumulum membra repone meum,
Et viue in Domini, dum viuis, gnate, timore,
Atque omnis conſors criminis eſſe caue;
Nec Domini quidquam contra committe ſtatuta,
Pauperibusque, tuis auxiliâre bonis,
Nec vultus auerte tuos ab egentibus vnquam,
Si tibi placatum quæris habere Deum.
Qualiacunque potes viuenti commoda præbe,
Cui ſit opus, promta quiſquis egebit ope.
Multa tenes, opibusque vales? dato multa benignus.
Pauca tenes? hilari pectore pauca dato.
Id faciens, Tobia, tibi præmia certa parabis,
Vndique te quando ſæua pericla prement.

Nam benefacta inopi cumulatè præſtita, ab omni
Peccato eripiunt terrificaq́ʒ nece,
Et prohibent animam poſt fata peracta, ſubire
Ad nigra perpetua quæ loca nocte ſilent.
Diuitijsq́ʒ ſuis quicunqʒ iuuabit egenos,
Huic ſolamen erit præſidiumque Deus.
Ne tua non licitis flagrent præcordia flammis,
Nec niſi legitima coniuge quære frui.
Pectore nulla tuo dictisue ſuperbia regnet,
Hæc fons eſt omnis principiumq́ʒ mali.
Redde laboranti mercedem, nate, laboris,
Et nullo ſtudeas hanc retinere modo.
Quæ tibi, uis, præſtent alij, præſtare memento,
Et feciſſe caue, quæ tibi facta doles.
Quosque fames vexat, recrea potuque ciboque,
Nudorumque tua corpora veſte tege.
Ad tumulum iuſti, panem vinumque repone,
Nec continge dapes, nec bibe cum reprobis.
In dubijs ſemper ſapientem conſule rebus,
Et grato celebra ſemper honore Deum,
Vtque tuæ curſum vitæ regat ipſe, precare,
Nec ſinat à recta turpiter ire via.
Hoc quoqʒ gnate ſcias; Rageſa Gabelus in vrbe
Medorum, noſtro ſtemmate natus agit.
Huic quondam argenti numeraui dena talenta,
Cùm tu penderes matris ab vberibus;
Illiusque mihi digitis eſt ſcripta tabella,
Hæc tibi quæ verè facta probare poteſt:

Quare

Quare ſollicito tecum ſub corde voluta,
Quo Rageſa poſſis mœnia adire modò,
Reddat vt argenti pondus Gabelus,& ipſi
Chirographum poſſis reſtituiſſe ſuum.
Omnem pone metum,mœſtumq́; remitte pauorem:
Noſtra quidem grauis eſt duraque vita nimis:
Plurima ſed nobis non deerunt commoda vitæ,
Pergemus verè ſi timuiſſe Deum,
Turpia ſi cauti vitare ſtudebimus acta,
Nec niſi quæ deceant,nec niſi recta ſequi.

V.

Sic Tobias. Tobiæ contrà ſic filius orſus;
Care pater,monitis obſequar vſque tuis;
Sed quòd dena mihi imponis repetenda talenta,
Hoc,ego,qua præſtem non ratione ſcio.
Non ego Gabelo,nec is eſt mihi cognitus. ergo
Qua potero hæc ipſi vera probare fide?
Præterea Rageſam quæ rectè ducat in vrbem,
Ipſe mihi ignotam ſcis,pater,eſſe viam.
Tum genitor gnatum dictis affatur amicis;
Eſt mihi Gabeli charta notata manu.
Hanc ſimulac ipſi dederis,tum protinus ille
Abſque tibi reddet dena talenta mora.
Tu modò quære virum iuſta mercede fidelem,
Qui tibi ſuſceptæ dux velit eſſe viæ,
Scilicet,argenti referas vt dena talenta,
Hac mihi dum fragili corpore vita manet.

Haud mora conſilijs; Tobias hæc iuſſa capeſſens
Carpendæ comitem quærit habere viæ.
Incidit in iuuenem facie membriſque decorum,
Ad præſens qui ſe ritè parârat iter,
Demiſſumq́; polo ignorans hunc angelon eſſe,
Scitatur blandis vocibus, Vnde domo?
Is ſe progenitum memorat de ſtirpe Iacobi.
Scis, Rageſam, Tobias, quæ via ducat? ait.
Ille ſub hæc; De qua nunc quæris, cognita planè,
Et mihi non vno eſt tempore tuta via,
Hoſpitiumque dedit Rageſæ Gabelus, eadem
Editus, vnde ſati nos quoque ſtirpe ſumus.
Cui Tobias; paullùm, precor, hîc ſubſiſte, parenti
Hæc ego dum poſſim ſignificare meo.
Mox patri narrat, qui demiratur, & orat,
Ne ſua ſit iuueni tecta ſubire graue.
Ille venit, Tobiamque ſenem ſic deinde ſalutat;
Incolumem ac lætum te velit eſſe Deus.
Ah quid læter, ait Tobias, qui lumine captus
Optata ſolis non queo luce frui.
Eſto, refert iuuenis, patiens, & mente fer æqua.
Nam grata Dominus te releuabit ope.
Tum Tobias; Ad Gabeli Rageſamne penateis
Fidis te gnatum ducere poſſe meum?
Id ſi præſtiteris, à me, mihi crede, reuerſus
Præmia pro tali iuſta labore feres.
Angelus huic contrà; Rageſæ ſub mænia gnatum
Deducam, & ſaluum reſtituam ipſe tuum.

Tum ſenior rurſus Tobias; Age dicito nobis,
Ex quo ſis, iuuenis, ſanguine cretus, ait.
Cui Raphaël; Satis eſt, quòd ſe tibi nuntius offert.
Cur, quo ſim cretus ſanguine, ſcire cupis?
Ne tamen hæc te cura premat nimis anxia, magni
AZarias ego ſum filius Ananiæ.
Pauca refert Tobias, Equidem es benè natus. at oro,
Ignoſcas, me de ſtirpe rogaſſe tua.
Hîc Raphaël: Abero nuſquam, confidito, gnatum
Et ducam ad Rageſæ mænia celſa tuum.
Sic ergo excepit Tobias; Pede tendite fauſto,
Angelus & veſtræ dux Deus eſto viæ,
Et vos ceu proprijs amplexus contegat alis,
Præſenti ſaluos & tueatur ope.
Omnibus ad præſens Tobias iter inde paratis,
Dulce patri dicit cum genitrice vale.
At ſimul hos abijſſe videt, pia fletibus ora
Humectans, Tobiæ ſic ait Anna ſuo;
Solamen noſtræ gnatum fulcrumque ſenectæ
Cur procul à patrijs paſſus es ire focis?
Quæ propter Rageſam Tobias eſt miſſus ad vrbem,
O vtinam nobis nulla talenta forent.
Poſſemus modico contenti ducere vitam.
Sat magna præſens filius eſſet opes.
Hac flentem dictis Tobias demulcet amicis;
Anna, precor, lacrymas comprime cara tuas.
Incolumis Tobias ibit tuus atq; redibit.
Id cernes oculis poſtmodò læta tuis.

Angelus, haud dubito, Domini quin ducat euntem.
Conſilium gnati diriget ille tui,
Vt poſt optato confecta negotia fine,
Hoc cum lætitia regrediatur iter.
Talibus admittens animo ſolatia verbis,
Cum gemitu lacrymas ſupprimit Anna ſuas.

VI.

It Tobias, greſſumq́ canis comitatur herilem,
Et prima ad Tigris nocte quieſcit aquas.
Dumq́ via parat hic ſordeis abſtergere plantis,
Exſilit immani corpore piſcis aquis.
In Tobiam vaſto qui cum ſe ferret hiatu,
Mox illi ſubitus concutit oſſa tremor,
Compellatque ſuum ſublata voce ſodalem;
Ni mihi fers, hac me bellua perdet, opem.
Arripe non ſegnis piſcem, poſitoq́ timore,
Huc Tobia ex vndis, Angelus, effer, ait.
Iuſſa facit Tobias. rurſum mox Angelus inſit;
Exime, quæ tumido condita ventre vides,
Corq́ tibi, nigroq́ iecur cum felle reſerua.
Horum eſt in medica maximus vſus ope.
Poſt aliquot piſcis ſubiectis ignibus aſſi
Ad cœptam ſecum fruſta tulêre viam.
At ſale ſparſerunt reliquum, quo viuere poſſent,
Ad Rageſæ peragant mœnia donec iter.
Angelon hinc verbis Tobias affatur amicis;
Non minus, Azaria, tu mihi fratre places.

Dic

Dic igitur, quæſo, quænam medicamina præſtent,
Hæc quæ ſunt iuſſu fruſta retenta tuo.
Angelus extemplò, quærenti talia reddit;
Hanc, Tobia, piſcis cor tibi præſtat opem.
Dæmone vexetur ſeu vir, ſeu femina prauo,
In prunas cordis coniÿce particulam.
Hinc ſurgens tenueis qui fertur fumus in auras,
Dæmonas infeſtos protinùs ille fugat.
Quos ſemel expulſos, nunquam rediÿſſe videbis.
Præditus hic tanto robore fumus erit.
Lumine ſi læſus fueris, de felle paretur
Vnguentum: certam mox feret illud opem.
Tum Tobias; Multo ſunt corpora feſſa labore,
Hoſpitium nobis quæ dabit ergo domus?
Ille refert; Eſt hîc quidam tibi ſanguine iunctus,
Nephthalica Raguel natus & ipſe tribu.
Filius huic vllus non eſt ſed filia tantùm
Vna domum & magnas Sara tuetur opes.
Illius bona cuncta tuos ſeruantur ad vſus,
Eſtque tui conſors Sara futura tori.
Tu modò poſce patrē, velit hanc tibi iūgere ſponſam;
Sic voti compos efficiêre tui.
Cui Tobias; Fando noſtras peruenit ad aureis,
Quòd ſeptem fuerit tradita Sara viris.
Fertur & hoc, diri truculenta dæmonis arte,
Hos triſti Sara morte periſſe viros.
Hinc metuo, ne, ſi coniunx mihi Sara locetur,
Eueniant eadem fortè pericla mihi,

Atque ita decrepita feſſos ætate parentes
Conficiat gnati mors inopina ſui.
Natus enim cùm ſim patri matrique relictus
Vnicus, his mortis cauſſa fuiſſe ferar.
Hunc ſic alloquitur Raphaël, ac talia mandat;
Attenta monitus percipe mente meos.
Namque dabo Tobia, qui ſint, quos perdere morte,
Dæmonis infeſti viſque doluſque queat.
Quotquot ſuſcipiunt ita connubialia iura,
Rectorem vt ſpernant excutiantque Deum,
Quos tantùm Veneris ſtimulat laſciua voluptas,
Bruta velut, nulla quæ ratione valent;
Hos vexat dæmon, his infert triſtia damna.
Tu verò monitis cautior eſto meis.
Cùm tibi legitimo fuerit data fœdere Sara,
Intrâritque tuum, patre iubente, torum;
Ante dies illam caue treis tetigiſſe. pudicis
Mentibus intereà fundite vota Deo.
At piſcis iecur incendes, cùm plurima nox eſt.
Pulſus enim dæmon hoc fugit igne malus.
Quæ primam ſequitur, veterum tua, nocte modeſtus
Ad Saram iunges corpora, more patrum.
Tertia præſtabit nox hæc tibi commoda, coniunx
Reddat vt incolumi te tua prole patrem.
Quarta deinde die, Domini comitante timore,
Virgineos poteris conſeruiſſe ſinus.
Sed magis id gratæ fac poſteritatis amore,
Quàm quòd te Veneris cæca libido trahat.

Sic,quæ Thariadæ promiſſa nepotibus olim,
Cuncta tibi,gnatis euenientque tuis.

VII.

Longum iter emenſi veniunt Raguelis in ædes,
Qui gaudens illos accipit hoſpitio,
Dumque hæret Tobiæ defixo in lumina vultu,
Vxorem appellat talibus ipſe ſuam;
Quàm conſobrini referat,precor,adſpice coniunx,
Hic iuuenis penitùs membra venuſta mei.
Hæc fatus iuuenem blandè compellat vtrumque;
Qua iuuenes veſtrum ducitis vrbe genus?
Nephthalis eſt noſtri,reddunt hi,ſanguinis auctor,
Et quota captorum pars ſumus vrbe Nini.
Vix hæc ediderant,Raguel cùm talia quærit;
Nouiſtis Tobiam? Nouimus,excipiunt.
Dumque ſenem Raguel in cœlum laudibus effert,
Huic contrà Raphael angelus iſta refert;
Ex nobis,de quo Tobia modò quæris amice,
Hic illo eſt iuuenis de genitore ſatus.
His dictis,Tobiam Raguel conuerſus ad ipſum
Attonito lacrymas fundit ab ore pias,
Circundansque manus collo,ſimul oſcula figit,
Exemploq; aperit talibus ora ſonis;
Omnia pro votis,Tobia,tibi proſpera cedant;
Inſigni tuus eſt integritate pater.
Mox etiam coniunx Raguelis,nataque Sara
Cœperunt lacrymis ora rigare pijs.

At Raguel lectas famulum mactare bidenteis,
Ferculaq; ad cœnam lauta parare iubet.
Dumque monet poſitis iuuenes accumbere menſis,
Mox ipſi Tobias talia verba refert;
Non hîc antè mihi ieiunia ſoluere fas eſt,
Quàm thalamum gnatæ pollicea re tuæ.
Talia terrebant Raguelem dicta, priorum
Dum tacitus verſat triſtia fata virûm,
Sollicituſq; grauem tegit alto corde dolorem,
Ne fors & Tobiam tanta pericla premant.
Cumq; ſtupens haud vlla daret reſponſa petenti,
Angelus his, ipſi, vocibus vſus ait;
Ne dubita Tobiæ ſponſam coniungere Saram,
Nam vero didicit corde timere Deum.
Soli debetur Tobiæ, tua filia, coniunx,
Nec fuit hæc alij conſocianda viro.
Huic Raguel contrà; Nihil ambigo, quin mea tandē
Audierit lacrymis vota referta Deus.
Atq; equidem vos huc veniſſe exiſtimo, ductu
Cuncta gubernantis conſilioq; Dei,
Vt mea cognato nubat de ſanguine ſponſo
Nata, velut Moſis dogmata priſca iubent.
Pelle hanc ergo tuo curarum ex pectore nubem,
Me, dabitur coniunx Sara, iubente, tibi.
Sic fatus, dextras Tobiæ Saræq; prehenſas
Iungit, & has blando fundit ab ore preces;
Thariadûm patris ac gnati, ſanctiq; nepotis,
Omnia qui è cœli dirigit arce, Deus,

Is veſtras ſtabili mentes coniungat amore,
Munifica vobis dans bona multa manu.
Continuò ſolito tabulæ de more parantur,
Quæ firment initi fœdera caſta tori.
Tum læti poſitis peragunt conuiuia menſis,
Et grato celebrant pectore & ore Deum.
Intereà Raguel vxori præcipit Annæ,
Vt thalamum ſponſo præparet ipſa nouo.
Huc deducta, ſinum lacrymis Sara implet obortis;
Sed pater hac lacrymas ſiſtere voce iubet;
Sis mea, ſis animo præſenti filia, néue
Lumina profuſis turpia fac lacrymis.
Poſt triſteis donet tibi, quos perpeſſa dolores
Hactenus es, clemens tempora læta Deus.

VIII.

Poſtquàm exemta fames epulis, menſæq; remota,
In Saræ Tobias ducitur inde torum,
Qui memor obſeruans animo mandata fideli,
Ipſi quæ dederat duxq; comesq; viæ,
Quas iſtos iecoris priùs aſſeruârat in vſus
Particulas, rapido protinùs igne cremat.
Nec mora, in Aegypti deſertum dæmone pulſo,
Eius ibi Raphael vimq; dolumq; domat.
Tùm ſponſam Tobias verbis compellat amicis;
Surge age, ſurge animo Sara adamata meo;
Aſſiduis precibus præſens & craſtina nobis,
Tertiaq; eſt ſimili nox peragenda modo.

Pro thalamo primis felice feremus vterque
Noctibus, ad ſummum ſedula vota Deum.
At ſimulac quartæ fulgebant ſidera noctis,
Tunc nobis caſto fas ſit amore frui.
Ducimus ex ſanctis, mea Sara, parentibus ortum,
Qui vera celebrant relligione Deum.
Non ita nos thalamum decet introÿſſe iugalem,
Gens velut, auctorem quæ negat eſſe Deum.
Ergo ſimul cara Tobias cum virgine ſurgens,
Ardenter mœſto flagitat ore Deum,
Diſcrimen ſeſe contra tueatur vt omne,
Has addens demum ſupplice voce preces;
Summe Deus, patrum ſpes indubitata meorum,
Collaudent nomen cuncta creata tuum,
Cœlúm, terra, fretum, fontes, & machina mundi
Hæc, extrà quidquid, quidquid & intùs habet.
Tu primum terræ formas de puluere Adamum,
Quamque illum ſociam vis habuiſſe tori.
Nec te, cur cupiam conſanguinitate propinquam
In thalamum Saram ducere, cauſſa fugit.
Haud equidem blandæ Veneris laſciua libido
Me mouet, at gratæ poſteritatis amor,
Vt ſemper noſtra ſuperent de ſtirpe nepotes,
Qui vero celebrent nomen honore tuum.
His Tobiæ votis iungit ſua vota, Deoq́;
Has imo mittit pectore Sara preces;
O miſerere Deus, Deus ò miſerere precantum,
Gratuita & miſeros nos bonitate tege;

Vtq́;

Vtq́ meo pariter cum coniuge læta ſeneſcam,
Da nobis ſano corpore poſſe frui.
Iam mediam attigerat cœli nox humida metam,
Cùm Raguel famulos mandat adeſſe ſuos.
His comitatus abit tumulum facturus, vt illo
Exſtincti Tobiæ conderet exuuias.
Namq́ putabat, eum ſimili quoq́ clade peremtum,
Dum tacita obſcuræ tempora noctis erant,
Qua miserè ſponſi ſeptem cecidêre priores,
Iuncta quibus thalami fœdere Sara fuit.
Iamq́ vbi de viridi fodiſſent ceſpite terram,
Vxori Raguel iſta reuerſus ait;
Anna tuam certò famulam cognoſcere, ſponſum
An tulerit Tobiam mors violenta, iube,
Antè ſub effoſſum condamus vt oſſa ſepulcrum,
Quàm pulſa incipiat nocte redire dies.
At famula extemplò commiſſa negotia curans
Accedit preſſo cauta cubile gradu,
Intendensq́ oculos, Tobiam Saramq́ cubanteis
Molliter, & ſaluos incolumeisq́ videt.
Conticuit, retroq́ pedem cum voce repreſſit,
Nec mora, fert dominæ gaudia tanta ſuæ.
Talibus acceptis, Raguel atq́ Anna ſupremo
Cœpêre hac laudes dicere voce, Deo;
Summe Deus, toto ferimus tibi pectore grates
Pro meritis in nos officijsq́ tuis,
Quæ metuebamus pauitanti corde periclo,
Illa quòd in noſtrum non rediêre caput.

Namq; admiranda motus bonitate, cruentum
Amplius haud Satanam prævaluiſſe ſinis;
Infeſtum à nobis repuliſti dæmona, qui nos
Vexauit miſeris hactenus vſque modis.
Carorum hi ſuboles ſunt vnica, ſpesq; parentum,
Quos Deus è tantis eripis alme malis.
Da quoq;, da, petimus, dum vita manebit vtriq;,
Hæc ſemper grata munera voce canant,
Et tibi ſacrificent meritæ præconia laudis,
Auſpice te quòd eis non nocuêre mala,
Vt reliqui exemplo poßint cognoſcere ab iſto,
Quòd tu ſis toto ſolus in orbe Deus.
Hæc fatus, triſte oppleri iubet antè ſepulcrum,
Quàm clarum Eoo ſol leuet axe caput.
Continuo`q; Anna conuiuia lauta parare
Præcipit, ac menſis impoſuiſſe dapes,
Cunctaq; maturè, via quæ longinqua requirit,
Expediÿſſe. viro paruit Anna ſuo.
Inde duos pingui præſtanteis tergore tauros
Mactat, & eximias quattuor addit oues,
Vicinosq; ſuos, dulcesq; inuitat amicos,
Et ſecum vt capiant prandia læta, rogat.
His actis, Tobiam votis ardentibus vrget,
Ante bis vt ſeptem nolit abire dies,
Dimidiamq; ipſi partem, pro dote, ſuarum,
Declarans vultu gaudia, donat opum.
Et quòd pars ad eum, ſcribit de more tabellas,
Altera poſt obitum ſit reditura ſuum.

IX.

Angelon hinc Tobias, hominem ratus eſſe caducum,
Aduocat, ac ipſi talia voce refert;
Te precor, ò animo Azaria cariſſime noſtro,
Accipe & hæc animo dicta repone tuo.
Quamuis me cupiam totum tibi tradere ſeruum,
Atque voluntati ſubdere ſponte tuæ;
Attamen haud poſſim meritas perſoluere grates;
Eſt in me meriti copia tanta tui.
Sed, precor, officijs hoc adde prioribus vnum,
Quo nullum poterit gratius eſſe mihi;
Aſſumtis tecum famulis, hirtiśq; camelis,
Ad Rageſæ celeri mœnia tende gradu,
Atque iſtas illic Gabelo trade tabellas,
Argenti vt reddat dena talenta, monens,
Lætitiaq; ſacri dignetur adeſſe iugalis,
Intrabit thalamum cùm pia Sara meum.
Nam numerare meos nouiſti corde parentes
Sollicito reditus ſingula puncta mei.
Quare præſcripto redeam niſi tempore, patrem
Anxia mordebit cura dolorque meum.
Ipſe vides, quantis Raguel conatibus inſtet,
Ne renuam paucos hîc remanere dies.
Nec decet illius me ſpernere vota, ſecundo
Hanc igitur pro me numine carpe viam.
Quattuor aſſumens famulos, binosque camelos,
It Rageſam Raphaël obſequioſus iter.

Quò veniens cùm Gabelo chirographa ferret,
Argenti rurſum dena talenta capit.
Atq; illum, Tobiæ fortunam & fata recenſens,
Ad ſacrum properet connubiale, rogat.
Mox inuitanti parens Gabelus amico,
Ingreditur ſocio cum Raphaele viam.
Poſtquàm amplas tandem ventum Raguelis in ædeis,
Iam Tobiam menſis accubuiſſe vident.
Qui ſubitò ſurgens, Gabeli brachia collo
Implicat, ore premens illius ora ſuo.
Gabelus lacrymis humectat grandibus ora,
Ominibus Tobiam proſequiturq; bonis;
Qui fuit Iſacidûm diuiſa per æquora ductor,
Ille tibi clemens ſit, precor, vſq; Deus.
Ducis enim ex ſancto generis primordia patre,
Et vera imbuto cognitione Dei,
Plurima qui paßim benefacta miniſtrat egenis,
Ac duro miſeris tempore præſtat opem.
Sit tibi, ſit felix vxor, veſtrosque parentes
Augeat omnigena proſperitate Deus,
Natorum vt longo numeretis ab ordine natos,
Et ſera vigeat poſteritate domus,
Cui Deus ex animo faciat ſuccedere cuncta,
Qui ſine principio, qui ſine fine manet.
Cumq; eadem reliqui optantes vno ore probaſſent,
Gaudentes poſitis diſcubuêre toris,
Inque Dei celebrant ſocialia ſacra timore,
Quas animus petijt, percipiuntq; dapes.

X.

At Tobias caſto Saram ſibi fœdere iungens,
Medorum nectit dum regione moras,
Sollicito, ſenior Tobias ſub pectore curas
Concipit, ac querula talia voce refert;
Tempore, me miſerum, tanto, cur tempore tanto
Natus abeſt? longum quid remoratur iter?
Fors, quia Gabelus lumen vitale reliquit,
Qui velit argentum reddere, nullus adeſt.
Hoc igitur Tobias turbantur & Anna dolore,
Ac mœſtas lacrymis ſpargit vterq; genas,
Filius ad certam præfixi temporis horam,
Suſceptum quòd non abſoluiſſet iter.
Nulla ſed admittens ægri ſolatia luctus
Conſtituit nullum fletibus Anna modum;
Cur te, cur miſeri, cariſſime nate, parentes
A nobis tantam iuſſimus ire viam?
Tu ſolamen eras noſtræ requiesq; ſenectæ,
Vnica tu nobis gaudia nate dabas,
Tu nobis omnis curæ caſusque leuamen,
Spesque ſecuturæ poſteritatis eras.
Tu niſi nunc eſſes peregrinas miſſus in oras,
Sat nobis rerum copia larga foret.
Tantos Anna ſuo rumpebat pectore queſtus,
Quos Tobias tali ſiſtere voce ſtudet;
Anna modum tandem lacrymis & pone querelis,
Deq; tuo triſteis excute corde metus.

Quem periiſſe putas, illæſo corpore lætus
Viuit adhuc, ſummo non renuente Deo.
Ad Rageſæ noſtrum qui ducit mœnia natum,
Eſt ipſi fidus duxque comesque viæ.
At nihil his mulcet mœrentia pectora dictis,
Nec curas demit tabificosque metus;
Quaq; die nati compulſa abſentis amore
Anna in vicinos exſpaciatur agros,
Attentisque vias oculis circumſpicit omnes,
Per quas hunc ſpes eſt poſſe redire domum,
Et multùm lacrymas vota inter ſingula fundit,
Vt videat Tobiam læta redire ſuum.
Pòſt, vbi confecti curſus, & ſacra peregit,
Ad patrios ſponſus cogitat ire focos.
Sed generum Raguel verbis affatus amicis,
Vt velit, hac ipſum voce, manere, rogat:
Tempore ne modico, ne mecum hîc eſſe recuſa,
Ne Tobia ſoceri reſpue vota tui.
Nuntius, efficiam, Niniuen mittatur ad vrbem;
Vnde pater ſaluum te ſciat eſſe tuus.
Eia age, rumpe moras, Tobias ait, atq; manere
Tandem aufer; patrios cogor adire lareis.
Singula ſollicitos horarum puncta parentes,
Sat ſcio, iamdudum dinumerare meos,
Et varias triſti trepidos formidine curas
Verſare ob reditus tempora tarda mei.
Ergo diu Raguel ſed fruſtrà, multa precatus,
Cùm cernit longas nil valuiſſe preces,

Com-

Commendat Tobiæ Saram, partemque ſuarum
Dimidiam, dotis nomine, tradit opum,
Argentum famulis addens grandeiuſque camelos,
Lanigeras & oues, ruricolaſque boues,
Et cupidum patrias lætumque remittit ad ædeis,
Ac tali fauſtum voce precatur iter;
Angelus ex ſummo cuſtos tibi detur Olympo,
Præſide quo ſaluus reſtituare tuis.
Qui pridem exſpectant mœſto te corde, parentes
Incolumes reducem te reperire velim.
Detque Deus, veſtra videam de ſtirpe nepotes,
Hæc mea vitalis dum fouet oſſa calor.
Inde ſuæ natæ collo cum coniuge pendens
Adiungit blandis oſcula blanda ſonis,
Digreſſuque ſimul, vera pietate, ſupremo
Format eam, monitis inſtituitque ſuis;
Fac, ſimili Tobiæ venerêris honore parentes,
Hactenus es patrem quo venerata tuum.
Et decus vſque caue caſti violare pudoris,
Flagrantique tuum dilige corde virum.
Iniunctoſque tibi ſubeas haud tarda labores,
Gnauaque commiſſæ res tueâre domus.

XI.

Quæ poſtquàm Raguel ſic ore effatus amico eſt,
Accipit, & parili reddit amore vale.
Nec mora, cùm Tobias ſocero ſocruque relictis,
Ad Niniues retrò mœnia carpit iter.

In medio Niniuen verſus ſpatio, inclyta quondam
Vrbs, Charra indigenis nomine dicta, iacet.
Huc ſimulac cara Tobias cum coniuge venit,
Exorta vndecies lumina Solis erant.
Tum cauſſas Raphael cupiens reſecare morandi,
Ad comitem profert talia verba ſuum;
Scis, quam ſolliciti, Tobia, materque paterque
Expectent reditus ſingula puncta tui.
Quare recta mihi debes parêre monenti;
Nos duo prægreſſi conficiamus iter,
Tuq; vt cum famulis Niniuen tenerisq; ſequatur
Virginibus lento, præcipe, Sara gradu.
Annuit his promtus Tobias, & cetera diſcit,
Quæ ſibi ſint, & quo perficienda modo.
Angelus, Heus, inquit, capto de piſce memento
Sumere fel. medicam conferet illud opem.
Haud ſecus, ac iuſſus, Tobias facit. inde profectus
Veloci Niniuen pergit vterque pede.
Anna ſed obtutu vigili procul omnia luſtrans
Quotidie in celſi vertice montis erat.
Votaque dum miſcet lacrymis ardentia, tandem
Agnoſcit natum læta redire ſuum,
Conſpectoque domum nato feſtina recurrens
Adfert hæc Tobiæ nuntia grata ſuo.
Cumque forent Niniues portis atq; vrbe recepti,
His Tobiam monitis angelus erudijt.
Ad patriæ ſimulac peruentum erit atria ſedis,
Addicta Domino concipe mente preces,

Et

Et iuſtos illi merita da laudis honores,
Oſcula mox patri dulcia fige tuo,
Ac quod de capto iuſſi te ſumere piſce,
Hoc oculos patris felle perunge tui.
Adferet id ſubitò certam, mihi crede, ſalutem,
Et vis reddetur priſtina luminibus,
Vt videat longo non viſum tempore ſolem,
Conſpectu & capiat gaudia plena tui.
Dixerat. & notas agilis præcurrit ad ædeis
Suſceptæ adfuerat qui canis vſque viæ,
Latratuq́; ſeni, ſaltuq́;, & verbere caudæ,
Lætitiæ oſtendit nuntia ſigna ſuæ.
Ille gradum lætus ſtudio celerare ſenili,
Forsq́; pedem lædit, dum properare ſtudet.
Ergo manum famulus regit, & veſtigia firmat,
Poſſit vt ad natum tutior ire ſuum,
Quem pater & cupidis mater complectitur vlnis,
Oſcula libandi nec modus vllus erat,
Tantaq́; percipiunt de ſaluo gaudia nato,
Decidat vt madidis lacryma larga genis.
De hinc poſtquàm reducis pariter pro munere nati
Laudârunt ſummum voce animoque Deum,
Iamque reſederunt; ſeruato hos piſcis in vſus
Cæca linit Tobias lumina felle patris.
Qui quaſi dimidia cruciatum ſuſtinet hora,
Lumina mordaci felle peruncta gerens.
Tùm verò ex oculis depulſa albugo recedit,
Vt membrana, ouo qualis ineſſe ſolet.

Arripit hanc lætus Tobias, cautéque prehenſam
Ex oculis cari detrahit ipſe patris.
Cui mox amota rediјt caligine viſus,
Cernere iam claro & lumine cuncta poteſt.
Nec mora, collaudat Domini memorabile factum,
Succeſſu exſultans coniugis Anna ſui;
Quíque priùs Tobiam cæcatum lumina nôrant,
Hi quoq; dant animi plurima ſigna piј.
Ipſe ſed ante alios & pectore gratus & ore,
Prædicat hæc Tobias munera voce Dei;
Omnipotens, æterne Deus, quem ſancta Iacobi
Poſteritas vera relligione colit,
In tua nunc iuſtas attollo nomina laudes,
Officiј nec erit gratia tecta tui.
Tu mea, tu meritis affligis crimina pœnis,
Et fidam miſero tu mihi reddis opem.
Quódque procul tenebris horrendæ noctis abactis
Conſpicio natum, muneris omne tui eſt.
Poſt ea tranſactis ſeptem pia Sara diebus,
Coniugis ad patrem venit & ipſa ſui,
Cum famulis pecudúmq; greges, grandésq; camelos,
Et ſecum argenti pondera multa ferens,
Ac quæ reddiderat Gabelus dena talenta
Antè ſibi Rageſæ mutua penſa data.
Iunior hinc Tobias patri matríque, peractæ
Exponit breuiter ſingula facta viæ,
Et bona quàm dederit iuuenem Deus ampla per iſtũ,
Longinquæ fuerat qui comes vſque viæ.

Nec

Nec morâ, continuò Nabatúsque, Achióróq; profecti
Ad Tobiam (his etenim ſanguine iunctus erat)
Haud ficto læti gratantur corde, quòd ipſi
Contulerit largè commoda tanta Deus.
Víxque exſultanti capientes gaudia mente
Per ſeptem celebrant prandia læta dies.

XII.

At ſenior natum Tobias, his ordine geſtis,
Aduocat, & dictis talibus alloquitur;
Præmia tàm ſancto iuueni quæ digna dabuntur,
Qui fuit hac tota dux tibi, nate, via?
Commoda perpendens memori, ſibi præſtita, mente,
Dicta refert patri filius iſta ſuo;
Digna, pater, iuueni dabimus nos præmia nunquã;
Illius eſt impar gratia noſtra bonis.
Ad Medos me perduxit ſaluúmque reduxit,
Atque à Gabelo dena talenta tulit,
Perfecítque, mihi Raguelis filia Sara
Vt ſit legitimi fœdere iuncta tori,
Infeſtúmque ab ea depellens dæmona, patri
Et matri tandem gaudia grata tulit.
Me quoq; de mortis præſenti fauce retraxit,
Cùm miſer à grandi piſce vorandus eram.
Reddidit amiſſo dulcem tibi lumine viſum,
Et varijs nobis profuit ipſe modis.
Pro meritis igitur nos digna rependere tantis,
Præmia poſſimus qua ratione, pater?

Attamen hac in te, genitor cariſſime, parte
Vt mea permittas vota valere, rogo.
Dimidiam huic facilis partem, pater, offer eorum,
Huc è Medorum quæ regione tuli.
Vtq́; ea dona, animi quædam quaſi pignora grati,
Dignetur placida ſumere mente, roga.
Quo pater audito Tobias, non longa moratus
Conſilium nati comprobat ipſe ſui.
Continuò iuuenem blanda ad ſe voce vocatum
Vrgent, oblata vt ſumere dona velit.
At Raphael parui mortalia munera pendens,
Mox illis tacitè talia verba refert;
Vos ego, vos ſummum, moneo, celebrate Tonantem,
Et pura grates dicite mente Deo,
Scilicet, immenſo quòd vos miſeratus amore
Contulerit larga commoda tanta manu.
Sceptrigeri non eſt ſecreta negotia regis
Fas, alijs vllo commemorare modo;
At Domini ſemper laudes atq; inclyta paſſim,
Summus honos, omni facta ſonare loco.
Res accepta Deo, ieiunia ducere mœſta,
Summiſſaq́; vti nocte dieq́; prece;
Auxilijq́; inopum miſeranda ſorte moueri,
Et facilem afflictis ſuppeditare manum,
Quàm grandeis auri corradere præſtat aceruos,
Et fluxis auido corde inhiare bonis.
Talis enim pietas, mortis præſente periclo
Liberat, & vitæ crimina magna tegit,

Pluri-

Plurimaq́ auertit dubiæ diſcrimina vitæ,
Datque diu curſu proſperiore frui.
Impius at contrà proprio ſe crimine perdit,
Et vitæ eſt hoſtis perniciesq́ ſua.
Quapropter vobis, vt res eſt, vera fatebor,
Conſilium ſummi nec reticebo Dei.
Tu quoties lacrymis ardentibus ora rigabas,
Ad Dominum mœſto pectore vota ferens,
Et media exſurgens inter conuiuia, menſas
Linquebas ſubitò propoſitasq́ dapes,
Triſtia quò terræ cæſorum corpora fratrum
Imponens, tumuli his debita iura dares,
Et clàm, luce tuis ſeruata cadauera tectis,
Condebas mediæ tempore noctis humo:
Tunc ego tunc lacrymis tua miſta, pijsq́ querelis,
In cœlos Domino ſeria vota tuli.
Et quia carus eras illi, qui cuncta gubernat,
Plena tibi varijs eſt data vita malis.
Per varios caſus, per multa pericula rerum,
Vt tua ſpectetur cum pietate fides.
Hic igitur claro me nunc demiſit Olympo,
Redderem vti viſum & lumina ademta tibi,
Ac tandem eriperem crudeli à dæmone Saram,
Quæ nato eſt thalami fœdere iuncta tuo.
Aetherij aſtamus ſeptem Dominum ante miniſtri,
Et promti exſequimur iuſſa verenda Dei.
Ex illis vnus Raphael ego nomine dicor;

Tale mihi voluit nomen ineſſe Deus.
Sic ait.at ſubita his gelidus formidine ſanguis
Diriguit,tremulo preſſáque corda metu,
Atque admiranda rerum nouitate ſtupentes
In terram poſito procubuêre genu.
Quo viſo,trepidis Raphael ſolatia reddens,
Erigit his iterum pectora fracta ſonis;
Solue metum,mihi cara domus,non vlla dolendi
Cauſſa eſt.ergo animo læta reſurge bono.
Nam mea quòd vobis opera inſeruiuit,id omne
Eſt factum ſummo ſic ſtatuente Deo.
Huic vos ritè preces offerte,huic pandite vota,
Sítque huius laudem diſſimulare nefas.
Ipſe quidem vobis potúque cibóque videbar,
Quo ſitis atq; fames pellitur ægra,frui;
Aſt ego,quo ſemper cœleſti in culmine victu
Perfruor,hunc hominum cernere nemo poteſt.
Nunc ab eo reuocor,qui me tibi ab æthere miſit,
Cuius ad imperium turba parata ſumus.
Huic vos magnificas Domino depromite laudes,
Atq; opera æterni mira referte Dei.
Dixerat. éque oculis tenueis ſublatus in auras,
Ampliùs haud illis conſpiciendus abit.
Vtq; ambo in terram treis procubuêre per horas,
Munificum celebrant pectore & ore Deum.
Inde aſſurgentes aliÿs miracula narrant,
Dextera quæ fecit prodigioſa Dei.

Inpri-

XIII.

Inprimis ſenior ſecum ſibi præſtita dona
Expendens, grates hoc canit ore, Deo;
O immenſe Deus, cœli terræque creator,
Imperio frenans ſummáque & ima tuo,
Qui iuſtis punis admiſſa piacla flagellis,
Et reſipiſcenti protinùs addis opem,
Ad nigros maneis qui ducis, & inde reducis,
Cuius nemo manum vindicis effugiet;
Te celebro, grateîſque tibi non immemor vſquam
Pro tam clementi numine ſemper agam.
Tu quoque ab Iſacida gens Iſraele profecta,
Munera manſueti concine magna Dei.
Namque ideò gentes hic te diſperſit in omnes,
Quas vaſtum liquidis alluit æquor aquis,
Illius ignaros doceas vt facta tremenda,
Et certam ſumma cum bonitate fidem,
Ac quòd præter eum toto non exſtet in orbe,
Qui regat arbitrio cuncta creata ſuo.
Afflixit varijs nos, propter crimina, pœnis,
Sed rurſùm miſeris lenior eſſe volet.
Quare vobiſcum vigili perpendite mente,
Quæ Dominus nobis, quantáque præſtiterit,
Cúmque metu, votíſque pijs præconia laudum
Tam multis illi dicite pro meritis.
Sic iterùm fiet læſi placabilis ira

Numinis, & læta tempora pacis erunt,
Ipſe, licet patrijs longè ſummotus ab oris,
Hic, vbi nos captos detinet hoſtis, agam,
Illum laude vehem, qui maieſtate verendum
Auguſta paßim ſe probat eſſe Deum,
Et referam, quanta fuerit pietate benignus
In nos, qui vitijs obruta turba ſumus.
Hoc tandem ſontes agnoſcite, triſtia quorum
Vulnera gratuita ſæpè leuauit ope.
Quæ pia ſunt & recta, Deo quæcunq; probantur;
Hæc agite, vt ſummi lex monet alma Dei.
Credite. plenus enim Deus eſt bonitate, coercens
Vltrice haud gaudens crimina noſtra manu.
Hæc dicam, & repetens iterumq; iterumq; monebo,
Inque Deo verè gaudia percipiam.
Quos cuncta ante Deus ſelegit ſecula, laudes
Vos grato meritas ore referte Dei,
Lætitiaque dies agite, & dolor omnis abeſto,
Et ſummum vnanimes concelebrate Deum.
Aſt ob multa Deo dependes crimina pœnas
Vrbs Solyme templo pulcra nitensque tuo.
Pòſt tamen irarum reprimet miſeratus habenas,
Et rurſum fiet mitior ipſe tibi.
Aßiduè Domino laudes cantare memento
In te pro meritis officijsque ſuis,
Nec ceſſa toto grates, huic reddere corde,
Cui neq; principium eſt, cui neq; finis erit.
Vt tua cum ſacris inſtauret mœnia tectis,

Et

Et captos ad te non reuocare neget,
Vt ſolito felix rurſus læteris honore,
Lucida cum cœlo ſidera donec erunt.
Inſtar Solis enim fulgebis quando repulſis
Nubibus, in medio diuidit orbe diem,
Submittentq́ humili ſeſe tibi pectore cuncti,
Quo fuerint homines cunque ſub axe poli.
Ad te è longinquis properabitur vndique terris,
Et cumulabuntur munera magna tibi,
Atque in te veri Domino reddentur honores,
Quos paßim in verbo præcipit ipſe ſuo.
Quique vocare volent proprio te nomine, ſummo
Vrbs, dicent, ſummo grata placensque Deo.
Nomen adorabunt in te ſublime potensque,
Imperio cuius cuncta creata vigent.
Qui te contemnens naſo ſuſpendet adunco,
Exſecrabilibus concidet ille modis.
Qui tibi blaſphema fundet conuicia lingua,
Aeterno pœnas iugiter igne luet.
Fortunatus erit, prona qui mente ſtudebit
Cum templo muros ædificare tuos.
Tu verò vrbs variæ numeroſo ex agmine prolis
Percipies animo gaudia magna tuo.
Illi ſemper enim contingent omnia fauſta,
Siſtetur Domino puraque labe ſuo.
Felices, te quotquot amant, nimiumq́ beati,
Otia, qui cupiunt, vt pia pacis agas.
In Domini laudes mea mens diſſoluere tota,

Ac illi grates pro bonitate refer.
Nam ſibi dilectam de cladibus eruet vrbem,
Et tollet, quidquid triſte malúmque fuit.
O ſi, cùm voluendâ dies hæc adferet olim,
E noſtro ſuperent ſanguine relliquiæ,
Regia quæ Solymæ florentis mœnia cernant,
Felicem multis me reputabo modis.
Sapphiro portæ ſurgent, viridíque ſmaragdo,
Et circùm gemmis mœnia tota nouis.
Ex auro turres, ex puro ſtrata viarum
Marmore, non trita candidiora niue.
Pro tantis populus meritis, próque vrbe recepta,
Hac paßim Dominum voce animóque canet;
Gloria ſit Domino, hanc tantis quòd honoribus vrbē
Augeat, & mira commoditate beet;
Gloria ſit Domino, Domino ſit gloria ſoli
Aeternùm ſolus qui regit atque reget.
Hanc vtinam Domini regnum perduret in vrbem,
Secula dum ſeclis annumerantur. Amen.

XIV.

Talis erat, Domino Tobias qua voce ſupremo
Pro cunctis grates reddidit officijs.
Ac poſtquàm lucem visúmque recepit ademtum,
Cùm mordax oculis fel medicina fuit,
Viuebat, donec tot Sol abſolueret annos,
Quot ſex ſeptenis multiplicata ferunt.
Et nati vidit natos, horúmque nepotes,

Ac plenam grata poſteritate domum.
At centum pariterque duos expleuit vt annos,
Matura tandem morte ſolutus obit.
Corpus honorificè terra tumulatur in illa,
Quæ præclara Nini nomina regis habet.
Nam decies quinos & ſex iam vixerat annos,
Cùm cœpit viſus munere deſtitui;
Luſtra ſed vt bis ſena ſui conſumſerat æui,
Cæcatis rediјt priſtina lux oculis.
Tranquillo reliquam traduxit pectore vitam,
Nec tulit ærumnas cana ſenecta graues.
Inque timore Dei dum proficit, vltima vitæ
Tempora in innocua pace quietus agit.
Iámque vbi veniſſet præſcripti terminus æui,
In verbum retinens lumina fixa Dei,
Ad ſeſe, natum Tobiam, ſeptémque nepotes
Arceſſit, nati pignora grata ſui.
Vt poſita venêre mora, ſpiramine ſacri
Flaminis impletus fata futura canit.
Hæc Niniue, celſis quæ ſurgit ad æthera tectis,
Tempore pòſt paruo ſtrata iacebit humi.
Credite dicenti fili caríque nepotes,
Haud vnquam fuerint irrita verba Dei.
Et fratres noſtri, genus Iſraele profectum,
Sub rigida tolerant qui iuga dura manu,
In varias ſparſi nimis infeliciter oras,
Ad patriæ referent dulcia rura pedem.
Et quæ nunc inculta iacet deſertáque tellus,

Illius ex omni parte colentur agri.
Quamque Deo ſacram miteſcere neſcius hoſtis
Abſumtam rapido perdidit igne domum,
Illa nouis exſtructa nouo cum culmine muris,
Antiquo rurſum ſtabit honore domus,
Numina quò Domini venerantes ſancta redibunt,
Atque illum vera relligione colent,
Vanaque conuerſæ gentes idola relinquent,
In quibus auxilij ſpem poſuêre ſui,
Et greſſu Solymam tendent properante, ſuasque
Hîc ſedeis intra mœnia conſtituent,
Atque oblectabunt in ea ſe ſuauiter omnes,
Quorum iudicijs terra regenda datur,
Iſacidûmque Deum ſubmiſsi in vota vocabunt,
Nec flectent alij corde pauente genu.
Quapropter fili Tobia, cariq; nepotes,
Quæ loquar, attento pectore ſuſcipite,
Atque ſalutiferis ſenſus aduertite dictis,
Summaque ne veſtri ſpernite iuſſa patris.
Sincero ſuperûm regi ſeruite timore,
Et pura mentis ſimplicitate piæ,
Curaque ſit cunctæ mores componere vitæ
Ad normam, verbo quam dedit ille ſuo.
Immò etiam mandata ſatis è ſanguine veſtro,
Vt placeat recti iuſtitiæque via,
Nec miſeris eleemoſynas præbere recuſent,
Et iuſto verum numen honore colant,
Cui veras omni ſtudio depromite laudes,

Donec

Donec vitalis corpora ſanguis alet.
Vos quoq́;, vos veſtro dulciſſima turba parenti,
Hoc, moneo, libeąt ne remanere loco;
Veſtra ſed vt mater ſuperas migrârit in arceis,
Quo mea ſub tumulo condita membra cubant,
Illius exanimum deponite corpus eodem,
Confeſtimque Nini mœnia deſerite.
Vrbs hac flagitijs tandem, mihi credite, tetris
Exſcidium pariet perniciemque ſibi.
Ergo dilectæ Tobias poſt funera matris,
Hæc animo verſans dicta ſuprema ſuo,
Cum conſorte tori Niniuen ac prole relinquit,
Et redit ad ſoceri dulcia tecta ſui,
Cum ſocru, firma quem repperit eſſe ſenecta,
Corporis & læta proſperitate frui,
Vtque requirebat pietas, hos fouit, eorum
Aſſidua curam ſedulitate gerens.
Cumque propinquaſſet decurſi terminus æui,
Clauſit vtrique ſua lumina cara manu,
Et quas diues opes Raguel poſſederat amplas,
Accepit cunctas vſibus ipſe ſuis,
Natorumque ſimul natos, horumque nepotes
Conſpexit ſenij fulcra decora ſui,
Inque Dei vero cultu, ſanctoque timore
Tranſegit vitæ tempora læta ſuæ,
Vtque nouem vndecies vitæ compleuerat annos,
Ad ſuperos placida morte ſolutus abit.

Frigida cognati, patrio de more, parentis
Membra ſub effoſſum depoſuêre ſolum,
Ac turpi degens ſanctam ſine crimine vitam,
Et veræ ſemper relligionis amans,
Pinguia Medorum cunctis habitantibus arua,
Poſteritas, Tobiæ grata placénsque fuit,
Et ſibi, qui iuſtas rerum moderatur habenas,
In cunctis facilem ſenſit adeſſe Deum.



יהוה
QVI IVSSV MODICA CONTENTVS SORTE VIATOR PERGIT ITER, VITÆ SYMBOLON ESTO MEÆ. L.H.P.D.

In Viatorem, Helmiorum Pithopœorum ſymbolon, deſumtum ex epiſtolæ ad Hebræos capite 13. v. 14.

In cœlos animum, palmas, & lumina tollens,
Exſul, inops, longam promtus inire viam,
Cum populis vrbes linquens, cum regibus aulas,
Quidquid & inſano vulgus amore ſtupet,
Aſsiduos tolerans tranquilla mente labores,
Impiger iniunctum carpo VIATOR *iter,*
Incertus, quò fata ferant, vbi ſiſtere detur.
Hîc mihi nam requies nulla laboris erit.
Dum varias igitur iactor malè tutus in oras,
Nec datur in patria figere ſede pedem,
Aeternas meditor ſedes. huc ducere tandem
Quæ recto poſsit tramite, quæro viam.
Quærenti tu Chriſte viam mihi pande rogatus.
Sic reliquum claudam, te duce, lætus iter.

Eitelbergæ, Prid. Non. Septemb.
cIↄ.Iↄ.LXIX.

In eundem.

Qui iuſſum modica contentus ſorte VIATOR
Pergit iter, vitæ ſymbolon eſto meæ.

In

In eundem.

Μέλλουσαν ζητῶ. οὐ γὰρ πόλις ὧδε μένουσα.

Hoc eſt,

Hîc incerta mihi eſt, æternam quærito ſedem.

In Symbolum D. GVSTAVI AB OSTEN POMBRANI,

VNVM AVTEM EST NECESSArium, deſumtum ex Lucæ 10. v. 42.

QVid fruſtrà inani cura & anxio metu
Hîc te, mea animula, maceras?
Sola vna res, ante omnia, neceſſaria eſt.
Hanc quære ſummis viribus;
Tui ipſius, Deiq́ vera notio,
Sacris petita oraculis.
Hoc ἔργον eſt; πάρεργα, in hunc, ſunt cetera,
Quæ non ſcopum collineant.

In idem.

Μοῦνον ἑνὸς χρεία, τάδε πάντ' ἀλλ' ἐστὶ πάρεργα,
Τοῦτε θεὸν γνῶναι, καὶ διάγειν ὁσίως.

Neapoli Nemetum, IIX. kalend. April.
anno à nato Chriſto CIↃ.IↃ.XXCII.

1.Corinth.10.v.12.Qui ſtat,videat,ne cadat.

Qui cecidit; videat, quò rurſum ſurgere poßit,
Qui ſtat; ſollicitè, ne cadat, advigilet:
Qui cecidit; ſperet, rurſum ſe ſurgere poſſe;
Qui ſtat; ne ſubitò concidat, extimeat.
Stet ſpes hæc; cadat hic metus, vno præſide Chriſto;
Cuſtode hoc, quiuis ſtátq; cadítq; benè.

Neap.Nem.19.Maij,anno &c.84. in morbo.

Voluntas Dei,regula Iuſtitiæ.

IEHOVAE *nobis ſemper veneranda voluntas,*
Sola ſit & conſtans regula Iuſtitiæ.
Denotat hoc, ipſo Iuſtum cognomine. namq;
Quod iubet, hoc Iuſtum dicitur eſtq;, Deus.

Ibid.26.Maij.

LAM-

LAMBERTI LVDOLFI PITHOPOEI, *Dauentrienſis, Poematum liber ſecundus.*

FVNEBRIA.

Ad IACOBVM MONAVV VRATISLAVIENSEM.

Funera cùm choreis præſtent, & lacryma riſu,
Hos tibi funereos mitto, Iacobe, modos.

Epicedion in obitum dulciſsimi infantuli, Eberharti Someri, Roſtochienſis, mei ex ſorore Maria nepotis.

QVàm ſumus heu miſeris ſubiecti caſibus omnes,
Tàm breuis heu quantis vita referta malis!
Annon immenſum quidquid complectier orbem
Cernimus, infelix occupat omne dolor?
Et mare veliuolum, liquido cúmq; aere tellus,
Prò dolor, innumeris ſunt onerata malis.
Bella, fames, peſtes, incendia, prælia, morbi,
Nos miſeros contra quàm fera bella mouent!
Omnibus his ſæuus tandem ſuperadditur hoſtis,
Mors, quæ nil toto viuere in orbe ſinit.
Ceu latro hæc totum vaſtat crudeliter orbem.
Nullus tàm diro tutus ab hoſte locus.

Hæc celſas regum turres & tecta ſuperba,
Atque æquo pulſat paupera tecta pede.
Nullius hæc didicit miteſcere fletibus, vllum
Non ſinit hæc querulas pondus habere preces.
Mortales pariter nullo diſcrimine cunctos
Hæc rapit, & Stygias cogit adire domos.
Non magis huic magni infelix opulentia Crœſi,
Aſpera pauperies quàm placet, Ire, tua.
Socratis interijt quoque tàm ſapientia ſancti,
Quàm rapuit ſtolidum mors violenta Midam.
Tàm tulit immitis diuinum Parca Platonem,
Et iuſsit Stygij regna ſubire Dei;
Abſtulit & Latiæ patrem Cicerona loquelæ,
Qui grauis Auſonia conſul in vrbe fuit;
Quàm tulit obſcurum quemuis de plebe miſella,
Cuius ſub denſa nomina nocte latent.
Tàm rapit è medio ſæua inclementia mortis,
Sincera Chriſtum qui coluêre fide,
Quàm qui iudicio mentis ſpreuêre ſuperbo
Et Chriſtum, & ſummi dogmata ſancta Dei.
Tàm Baptiſta iacet crudeli morte peremtus.
Qui meruit ſummi nuntius eſſe Dei,
Quàm Nero, quo totus nil vidit fœdius orbis,
Qui ſæuo matrem ſuſtulit enſe ſuam.
Denique mors omnes aufert, iuuenesq; ſenesq;
Sæuit in humanum mors truculenta genus.
An tibi non ſatis eſt triſtem detrudere ad Orcum,
Mors fera, languentes decrepitosque ſenes,

Nî

Ni dulceis etiam pueros à matre reuulſos
Imperio cogas ſubdere colla tuo?
Cur, rogo, Eberhartum rapuiſti ſæua Somerum,
Viuere qui longo tempore dignus erat?
Tot portenta hominum toto nunc orbe ſuperſunt,
Queîs vtinam prorſus vita negata foret,
Qui fera conuertunt in Ieſum prælia Chriſtum,
Et Chriſti exſtingui nomen in orbe volunt,
Iniuſtis totum qui cædibus atque rapinis
Orbem implent, per quos iura ſacrata iacent,
Qui populum immodicis exſugunt ſumtibus, atq;
Plebis inexhauſto parta labore vorant.
Has hominum peſtes & triſtia funera quantò
Aequius ex terris abripuiſſe fuit,
Quàm tĕneros ſubita ac imbelles tollere morte
Infantes, matris gaudia grata ſuæ.
Heu puer hic ternos nondum compleuerat annos,
Cùm ſubijt celſi tecta beata poli.
Gratus Eberhartus, dum vixit, vtrique parenti,
Delitiæ matris, ſpes quoque magna patris.
Quantus Eberhartus fuerat puer iſte futurus,
Longior huic puero ſi data vita foret!
Doctrina æqualeis viciſſet ſtrenuus omnes.
Ingenium huic tantæ dexteritatis erat.
Dulcis erat verbis, & tales corpore geſtus
Edidit, vt nulli diſplicuiſſe queant.
Gratus erat puer hic ſtudioſis omnibus; illis
Huius erant quouis ludicra grata loco.

Sed quid opus multis hunc tollere laudibus? annos
Neſtoreos puer hic viuere dignus erat.
Cui, quæſo, hæc igitur mors immatura puelli
Non doleat? lacrymas quis tenuiſſe queat?
At tu ſiſte pias lacrymas mœſtiſſima mater,
Atq; tuis tandem fletibus adde modum,
Siſte pias lacrymas pater ò Theodore puelli,
Nec nimiùm luctu te cruciare uelis.
Parce, precor, mœſto, ſoror ò cariſſima fletu,
Parce verecundas commaculare genas.
Parcite vterq; parens contundere pectora palmis,
Et vobis luctus accumulare graues.
Oſſa quidem vili terra tumulantur, at ipſa
Mens habitat rutili lucida templa poli.
Viuit Eberhartus patriæ cœleſtis in aula,
Concinit & lætus carmina læta Deo.
Dulcis Eberhartus cœleſtia gaudia ſentit,
Gaudia, quæ nullo ſunt peritura die.
Hos qui fortè leges verſus, age candide lector,
Dic, vt Eberharti molliter oſſa cubent.

Obijt Roſtochij, in patria, menſe Sept. anno Chriſti 1557.

Epitaphiũ M. Theodori Someri Ammersfordienſis, affinis mei cariſsimi.

Hanc quicúnque vides ſuſpenſam fortè tabellam,
Et tacitus tecum, quid velit illa; rogas,

Siſte

Siſte,precor,greſſum,paullumq́; morare viator,
Carminaq́; attentus,ſi vacat,iſta lege.
Quam premis impoſito terram pede,ſcito,ſub iſta
Quòd docti recubent molliter oſſa viri.
Huic Theodorus erat nomen Sommerus,& ortum
Ammersfordiaca traxit ab vrbe ſuum,
Artibus adiunxit qui prima à flore iuuentæ
Ingenuis mores cum pietate graues.
Iámque gerens varia doctrina pectus onuſtum,
Cùm foret Aonij gloria magna chori,
Ammersfordiacæ permultos gnauiter annos,
Hinc Dauentriacæ præfuit ipſe ſcholæ.
Poſt ea doctrinæ ductus maioris amore,
Deſeruit patriæ dulcia tecta ſuæ,
Doctáque luſtrauit ſtudio vigilante Lycea,
Plurima quæ diues Teutonis ora tenet.
Hîcq́; ſibi multos virtute parauit amicos,
Moribus inſignes ingenióque viros,
Atq́; animum tanta doctrina inſtruxit,vt inter
Non eſſet claros vltimus ipſe viros.
Percepta ex ſtudijs tanta mercede,reuertit
Ad patrias magno lætus honore domos.
Tum Dauentriacam iuſſus formare iuuentam,
Officio eſt iterum functus,vt antè,ſuo.
Inſuper & vitam ſemper traduxit honeſtam.
Prima fuit ſummo cura placere Deo.
Vero Euangelij flagrauit amore,ſupremum
Non ficta venerans relligione Deum.

Quin & ſaluifici confeſſus dogmata Chriſti.
Pertulit in patria mille pericla ſua,
Auſonij donec fugiens mendacia Papæ,
Cum cara petijt coniuge Roſtochium,
Atq; phthiſi tandem conſumtus membra, ſupremum
In vera clauſit ſpeque fideque diem.
Ergo Stelliferi ſacrata palatia cœli
Mens habitat; vili hæc oſſa teguntur humo.
Hæc tamen æternùm tumulo victura reſurgent,
Cùm dabit extremum buccina ſacra ſonum.
Id tantùm volui te non neſcire viator.
Si placet, inceptam carpere perge viam,
Et memor humanæ ſortis mortisq; futuræ,
Diſce mori, moneo, puluis & vmbra ſumus.

Obijt Roſtochij, poſtridie eid. Nouembreis, anno CIↃ.IↃ.LVII.

Aliud eiuſdem, continens annum mortis.

Hoc buſto exſtincti requieſcunt oſſa Someri;
In rutili viuit ſpiritus arce poli.

Epitaphium Ludolfi Helmij Pithopœi, Dauentrienſis, patris mei cariſſimi: continens annum mortis.

Ludolfi iacet hac Pithopœi corpus in vrna;
Aſpectu fruitur ſpiritus ipſe Dei.

Obijt Dauentriæ, in patria, pridie. kalend. Quinct.

Epita-

Epitaphium Lubbertæ Barliæ, coniugis Ludolfi, matris meæ cariſsimæ, continens annum mortis.

Ludolfi hîc coniunx Pithopœi conditur vrna
In vera conſtans quæ pietate fuit:

Obijt Dauentriæ, in patria, poſtrid. Non. Ianuar.

Epitaphium Bartolemæi Batti Gandauenſis, continens annum mortis.

Pro Christo varijs viuus vexate periclis
Battie ſub ſaxo hoc Bartolemæe iaces.

Obijt Roſtochij, IX. kal. Februar.

Reuerendo viro, pietate, eruditione, & morum ſanctimonia præſtanti, D. M. Iohanni Gulielmo, Eccleſiæ Dei in Republ. Dauentrienſi, paſtori fideliſsimo & optimè merito, gratitudinis ergò, certa ſpe reſurrectionis corporum humanorum, ſecuturi iudicij, & vitæ æternæ, ciues Reipubl. Dauentrienſis, monumentum hoc ponendum curârunt.

Continet hic tumulus Iohannis membra Gulelmi,
Qui pius hac Chriſti paſtor in æde fuit.

Protulit hunc terris gelido contermina Eleuo
Suolla virum, ſtudijs ſemper amica bonis.
Ingenium iuueni linguámque Colonia Muſis
Inclyta præclaris artibus erudijt.
Hinc Dauenturium, Chriſto ducente, vocatus
Commiſſas ſano dogmate pauit oues.
Reiectis operum meritis fallacibus, vnum
In Chriſtum docuit ſpem poſuiſſe pios,
Iuſtitiæ Chriſtum noſtræ cauſſámque ſalutis,
Qui peccata luit ſanguine noſtra ſuo;
Gratia quid Chriſti diſtent & fulmina Moſis,
Quæ priùs in denſum mixta fuêre chaos;
Solius auxilium Chriſti noménq; vocandum,
Qui noſtri gemitus cordis vbique videt;
Quis ſacræ fructus cœnæ, ſanctiq; lauacri,
Symbola quo ſint hæc accipienda modo;
Dogmata maiorum, iuſſis contraria Chriſti,
Conſtanter cunctis eſſe cauenda pijs;
Et mores ſanctè nobis iuſtéque regendos
Ad normam, quam Lex præcipit alma Dei.
Præthereà Diui mandatis conſona Paulli
Vita fuit, mores cum pietate graues.
Aſſiduè ſacris libris precibúsque vacauit;
Tantus oues ardor paſcere ritè ſuas.
Sedulus ad Chriſti multos perduxit amorem,
Oſtendens veræ relligionis iter.
Mœrentum ſano lacrymas ſermone leuauit,
Nec leuis ægrotos viſere cura fuit.

Pau-

Pauperibus mira promtus bonitate iuuandis
Auxilium læta fronte manúque tulit.
Sobrius, humanus, ſimpléxque, modeſtus, & oſor
Spurcitiæ, caſtis moribus vſq; fuit.
Illius hanc nunquam poterunt conuellere laudem
Liuor iners, odio crimina ficta, doli.
Sic vbi, quem dederas curſum, pie Chriſte, peregit,
Hunc rapit heu nimiùm mors violenta virum.
Signiferum nondum bis Sol percurrerat orbem,
Strenuus iniunctum dum ſibi munus obit.
Inſidijs famulum ſtructis & ab hoſte periclis
Hac Deus eripuit ſors ratione ſuum.
Carus dum vixit, poſt mortem carior illis,
Antiquæ curam qui pietatis agunt.
Et nunc ille quidem coràm veréque beatus
Conſpectu fruitur colloquijsque Dei;
Mœſta ſuum lacrymis Dauentria deflet acerbis
Paſtorem, tanquam patre ſit orba ſuo.
Iohannis ſimileis nobis largire Gulelmi
Præcones verbi, maxime Chriſte, tui;
Et vera quiſquis gaudes pietate, precare,
Vt ſancti recubent molliter oſſa viri.

Deceſsit Dauentriæ, Nonis Februar. anno Chriſti 1560. ætatis ſuæ 33.

Dauentriæ, 3. Non. Quinctil. anno 1561.

Epitaphium Ludolfi Helmij Pithopœi, Lamberti filij, infantuli, mortui Dauentriæ, in patria, 23. Iunij, hora noctis prima, anno Chriſti 1561.

Scriptum à Gerardo ab Achtefelt Amersfordienſi, 23. Nouembr. anno 1561.

Nomen aui referens anguſta conditur vrna,
Ingreſſus vitæ limina prima puer,
Quem præmatura ſublatum morte, putandum,
Cuius id in manibus, ſic ſtatuente Deo,
Ne comes exſulij diuerſa per oppida, triſtem
Augeret luctum mœſtitiamq́ patri.
Hunc etenim fex Oenotrio iurata Baali,
Aſſuetis patriæ cogit abire locis,
Non quòd, ob admiſſum fœdè, ſit dignus, vt iſtam
Emerita pœnam conditione ferat;
Sed quoniam parui cantato pollinis orbe,
Qui circùm pompa fertur vbique noua,
Erudiens teneram de relligione iuuentam,
Affirmet Natum non latitare Dei.

Qui

Qui precibus nobis orandus,vt omne, quod hoſtes
Inſtituunt,properè diſſoluatur opus.

Vixit dies 84. horas 9.

Diſticha tria,cōtinentia ſingulatim annum natiuitatis, nuptiarum, & mortis, Nobiliſſimæ & lectiſsimæ feminæ Catharinæ à Remen Dauentrienſis, coniugis D. Theodori à Mouvvick Dauentrienſis, ſcripta in gratiam mariti,& fratris D.Stephani à Remen.

Tertia gignebat me lux Octobris,ab arte
Appoſita hoc aſto quæ Catharina loco.
Exactis Februi menſis bis noctibus octo,
Coniugij uirgo pignore vincta fui.
Tres luces ierant Septembris,in atria celſi,
Rellicta terra,& perferor ægra,poli.

Dauentriæ,menſe Nouemb. anno 1562.

De obitu Illuſtriſsimæ Principis ac Dominæ, D. Mariæ, Friderici III. Pij, Com. Palat. ad Renum, Ducis Bauariæ &c. S. R. I. Archidapiferi & VII. viri Electoris cariſsimæ coniugis, natæ ex Illuſtriſsima Marchionum Brandenburgenſium &c. familia.

Gerardus Pontanus Helmontanus Chriſtiano lectori S.

Nauis vt in medijs iactatur fluctibus, auſter
Dum furit, & rapidis æſtuat æquor aquis:
Sic hominum varijs agitatur vita procellis,
Spem ſola in Chriſti qui bonitate locant,
Impia Pontificum damnant qui dogmata, ſcriptis
Quæq; ſuis Monachi ſomnia vana docent.
At Deus inſano vexatos turbine, tandem
Reſpicit, & cunctis eripit ipſe malis.
Pluribus exemplis ſunt Biblia plena, prioris
Hiſtoriæ & noſtri temporis iſta probant.
Exemplum hîc etiam Friderico in Principe rarum,
Et Maria ipſius coniuge, Lector habes,
Quæ ſubit optatum Princeps ſanctiſsima portum,
Dum tumidas medio gurgite verſat aquas,
Atq; graui poſito rediuiuæ pondere carnis,
Cum Chriſto ſumma viuit in arce poli,
Noſtra vbi certa ſalus, æternáque manſio pacis,
Et requies, nullo quæ peritura die.

Sequitur poſt nubila Phœbus.

Fridericus VII. vir ad morti propinquam coniugem, calamitates ſuas conqueritur.

Ergo iaces, Maria, ergo iaces, dulciſſima coniux,
Longinquo teneros artus afflicta dolore?
Méque tuum varijs curarum fluctibus antè
Iactatum, heu nimiùm, media ſub mole laborum
Deſtituis, duplicáſque nouo mihi vulnere luctum?
Sícne tuum medijs Fridericum linquis in vndis,
Vndiq; per totum miſerè quibus obrutus orbem
Mergerer, inſanis ceu tempeſtatibus actam,
Aduerſi inter ſe luctantes, æquore magno
Vnà Eurus Zephyrúſque, Notus Boreáſque furentes
Diſijciunt laceram, quaſſámque euertere puppim
Certatim iucumbunt, ni me tua dextera præſens
Defenſum daret, atq; animum in diſcrimine fortem,
Sufficerétque nouas vires mihi, maxime Chriſte?
Hinc mea perpetuis exercet pectora curis
Perfidus humani generis fraudator & hoſtis,
Impia terribileis acuens in prælia reges,
Et coniuratos cœlum reſcindere ferro,
Si poſſint, ſi Chriſte ſinas; quò ſcilicet omnis,
Exſecranda bonis, nullo prohibente, tyranni
Romani probet & mendacia mundus adoret;
Ni faciant, ferrum, carcérque timendus, & ignis,
Sanguinéque innocuo campíque vrbéſque replendæ.
Intereà toto cultus diuinus in orbe,

Veraq́ relligio tenebris triſtiq́ premantur
Nocte, nec in terris, qui Chriſti nomen honoret,
Sit quiſquam, ſed quod cantato pollinis orbi
Fingitur incluſum, & miſeri mortalibus æui
Per vim, perq́ nefas obtruditur, illud inane
Idolum placeat, uigeat, ſolumq́ colatur,
Et variæ fraudum ſpecies, horrendaq́ trini
Vniusq́ Dei paßim ludibria regnent.
Illinc luctifico mœſtam mihi vulnere mentem
Sauciat, heu patriæ noſtræ communis Erinnys,
Turcus in Vngaricos graſſans crudeliter agros,
Omnia vbi latè ferro populatur & igni,
Chriſticolûmque nimis ſitiens Otmannā cruorem
Barbaries, diroque parans molimine Eoi
Finibus imperij occiduas adiungere terras;
Artibus & pollens numero, ac crudelibus armis,
Et quas hinc nuper ſenſit Germania clades,
Tot quando cecidêre Iſtri flauentis ad vndas
Corpora præſtantum virtute manuq́ virorum;
Inque Deum, gnatumque Dei, blaſphema ſuperbi
Lingua Ducis, ſolio qua deturbare potenti
Nititur æterni æternam patris eicona Chriſtum,
Pro Chriſtoque ſui leges atque impia diri
Dogmata per totum Mahomet ſpargere mundùm i.
Parte alia ſæuos ciet ægro in pectore morſus,
Germanos agitans nuper diſcordia fratres,
Tempore cognatis quo inter ſe cernere telis
Tentaſſent, tua ni mecum, fidißima coniux,

Cum

Cum pietate fides, & præſens gratia, mentes
Fraternas, poſitis odijs, iunxiſſet amico
Fœdere. Tum generi caſus & triſtia fata,
Imperij poſtquàm proceres accendit ad iram,
Et procul Vngaricas, offenſo Cæſare, in oras
Abductum querula deplorans voce maritum
Filia, quiq; patrem, placato Cæſare, crebris
Exſpectant parui lacrymis gemituq́; nepotes.
Nec ſatis hæc, nouus ecce nouis dolor vrit amicum
Cor mihi, nec placidam membris dat cura quietem
Affinis capti, non exſpectataq; vincla
Admirans lugensq; ſoror germana mariti.
Deniq; ſollicito varios in corde dolores
Excitat, infirmum Chriſti qui ſcindit ouile,
Hæreſeωn toto ſurgens grex impius orbe,
Vt qui Sarmatico nuper rediuiuus in agro
Arrius merito Chriſtum defraudat honore,
Ludibrijsq; Deum trinum proſcindit & vnum,
Peſtiferum blando commendans ore venenum
Nec non, quæ titulos & nomina Iactat Ieſu,
Et ficta incautum fallit pietate popellum,
Turba nocens, cùm ſint hoſtis iuratus Ieſu,
Et Chriſti in terris cùm vi, tum fraude trucident
Membra, atq; hoc vnum noctésque diésq; laborent,
Numine quò rursùm ſuppreſſo & nomine Chriſti.
Auſoniæ regnent Germana per oppida fraudes;
Quíque gnatho hos inter leuis eſt & ſcurra Vitellus,
Impuro nuper Chriſti lacerare fideles

F

Ore nihil veritus vitæ poſt fata miniſtros,
Queis ipſe indignus vilem præbere matellam,
Stirpis huic vitulus ſit ſiue Vitellius autor.
Nam malus eſt animus, mendax laſciuáque lingua.
Tũ quoq; non leuis hæc animũ mihi cura fatigat,
Quòd ſua per noſtras latè mala dogmata terras
Spargere non ceſſent, leue queis abducere vulgus
A ſcriptis pacti veteríſque nouíque legendis
Eſt ſtudium, atque rudes phaleratis ducere dictis,
Biblia queis ludi ſuaues, nugæque canoræ,
Qui ſacros rident, vana vt ſpectacula, cœtus,
Próque his afflatus miros & ſomnia iactant.
Quid memorem turpes Epicuri de grege porcos,
Fœcundam heu nimiùm gentẽ, quibus vna voluptas
Neſcia curarum cordi eſt ignauáque ventris
Otia ſunt ſummum numen, ſolúmque, quod optant,
Vera & falſa quibus nullo diſcrimine habetur
Religio, quibus eſt Deus & mera ſomnia manes?
Et tamen ex iſtis ingentem eſt cernere turbam,
Quæ licet in mundo, terræ cœlíque potentem
Eſſe Deum neget, in putris tamen orbe farinæ
Neſcio quod numen latitare, piéque colendum,
Immani rabie, inſanis clamoribus vrget,
Quódque ipſi ò mores, ò tempora triſtia: ſpernunt,
Inque ſinu rident, hoc hoc obtrudere paſſim
Ter miſeræ plebi pro vero numine certant.
Quid dicam Tragicas, dum vult facundus haberi,
Effreni ampullas & ſeſquipedalia verba

Ore

Ore Celeſtinum iactantem, anathemata dirò
Cum nuper veros Chriſti damnare miniſtros
Aggreſſus, ferrum, cædes, cacodæmonas, igneis,
Exſulium crepuit, chartiſque illeuit acerbis?
Atq; alias Satanæ fraudes, horrendáque monſtra
Hæreſeωn, magnos terræ perdentia tractus,
Quorũ ego nec numerũ queo, nec cõprendere formas,
Et pia mens meminiſſe horret, refugítque dolore.
Tu verò tantas terris auertito peſtes,
Atque tuos clemens ſemper defendito cœtus
Chriſte Deus cum patre Deo, cum pneumate ſacro.
Hæ mihi, prò dolor, aſſiduo noua vulnera morſu
Aerumnæ infligunt, vigiléſque in pectore curas
Exaugent, ægrámque vetant requieſcere mentem.
Nam veluti tumidis vndæ truduntur ab vndis,
Inque mari magno turbantibus æthera ventis,
Continui horrendùm pulſant caua littora fluctus,
Fœderéque æterno noctem lux alma diei,
Inque vicem humenti lucem nox dimouet vmbra:
Sic mea perpetuis curarum vita procellis
Iactatur, nec mî requies datur vlla laborum,
Præteritúſque nouo premitur dolor vſque dolore.
Quinetiam cædes procul, & bella horrida bella
Cognatáſque acies paribus concurrere telis,
Et Ligerim innocuo nigricantem ſanguine cerno.
In tantis, animo Maria ò cariſsima noſtro,
Fluctibus, & turbis varijs, mihi fida fuiſti
Tu comes, & paribus figens veſtigia curis,

Alloquijs (memini) blandis operáque fideli
Sæpè mihi mœſto ſolamen dulce tuliſti.
Dúmque eadem de te canæ mihi ſpero ſenectæ
Tempore difficili,& curarum exſpecto leuamen,
Ecce mihi mea te Maria inſuperabile fatum
Abripit,& curis iampridem pectus acerbis
Heu nimis afflictum triſti mors funere turbat,
Nec ſinit acceptum nuper coaleſcere vulnus.
Vſque adeò in terris mihi nil niſi ſæua meorum
Funera reſtabunt,comes an labor vſque labori,
Et luctum luctus,curam premet altera cura?
Siccine me coniux fidiſsima,ſiccine linques?
Et dulceis gnatos,exoptatósque nepotes
In tumidis grauiter iactatos deſeris vndis?
Heu miſer,orbandus tali te coniuge,primùm
Quid querar? ecquanam iuſti mihi meta doloris?
Tu tandem laſſo requiem da Chriſte laborum.

MARIA morti propinqua maritum mœſtum conſolatur.

Quid miſeram tanto gemitu lacrymiſque fatigas
Vita care mihi Princeps magè,vita manebat
Dum mihi? Sícne tuam extremo ſub tempore vitæ
Iamdudum vario turbatam pectora luctu,
Hoc etiam exerces Mariam,Friderice,dolore?
Sunt acres mihi,quas memoras iuſto ordine,curæ
Sunt ſatis, inprimis ſed quæ nunc maxima natu
Filia,dilecti deplorat vincla mariti,

Et

Et tremula patrem qui lugent voce nepotes,
In triſti renouant ſemper mihi corde tumultum.
Ne mihi, ne lacrymis curas augeto priores
Mi Friderice tuis. iamdudum hîc omnia luctus
Plena, & funereis reſonat tua queſtibus aula
Iamdudum ſatis. hîc lacrymis, hîc terminus eſto.
Quid fruſtrà tanto iuuat indulgere dolori?
Deſine me nimijs affligere, téque querelis.
Sat patriæ, Maríæque tuæ, Friderice, dediſti,
Sat tua, ſat tanto pietas perſpecta dolore.
Me ſi fata tuis tecum conſidere terris
Amplius, & gnatis vellent ſupereſſe, tibíque,
Effœtum iuſto recreaſſent robore corpus,
Et vigor amiſſus labefacta in membra rediſſet
Iampridem, ac tardi ceßiſſent tædia morbi;
Nunc aliter Chriſto viſum. nam cernis atroci
Victa malo membra vt nequeat medicina iuuare,
Inq; dies creſcat duri violentia morbi.
Languida iam ſicco vix hæret lingua palato,
Infirmóque animam vix hanc in corpore duco.
Venit præſcripti, venit mihi terminus æui,
Optatam video requiem portúmque laborum.
Nam me mors atris iam circumplectitur alis.
Fata igitur flecti ne ſpera poſſe querendo.
Vixi, &, quod dederas ſtadiũ mihi Chriſte, cucurri,
Cura, dolor, lacrymæ, luctus, vanaq; valete
Spes, totum ſolæ quæ tutò luditis orbem.
Nil mihi vobiſcum deinceps, ſed in ardua cœli

Culmina monſtrat iter Chriſtus,via certa ſalutis.
Quàm te Chriſte lubens ſequor huc, q̃ læta, vocantẽ;
Gaudia,vita,ſalus,æternáque gloria verum
Iuſtitiæque decus mihi ſunt vbi parta,piiſque,
Sanguine Chriſte tuo,noſtræ pro crimine vitæ.
Quem tu tale nihil meritus,ſed motus amore
Humani generis,tua quod decorârat imago,
Et dira Satanas exſtinguere fraude parârat,
In cruce pro nobis fudiſti victima factus,
Participémque tui tanti quòd muneris eſſe
Me miſeram gratis placuit tibi,méque docendam
Hoc Euangelij,& cari mihi voce mariti
Curaſti,quantas toto tibi pectore grates
Dicere,Chriſte,queo,tantas dico atque per æuum
Omne pia ac memori dicturam ſpondeo mente,
Cœleſti quando tecum feliciter aula
Læta fruar poſito peccati & corpore mortis.
Hæc,Friderice,manent etiam te præmia vitæ
Aeternæ,hanc etiam cœli tu lætus in arcem
Sublatus,Maria rursùm potiêre cupita.
Ne tamen huc nimio propera contendere curſu,
Ne nimijs cœlum,nimiúmque frequentibus opta
Tu votis; hîc parce tuis,parce optime Princeps.
Ipſe quidem,Friderice,ſcio,vt iam tempore longo,
Et mundum & mundi curas pertæſus inanes,
Iſtius horrendis tenebris & carcere vitæ
Ex triſti migrare optes,corámque tueri
Lætitiæ Chriſtum veræ fontémque ſalutis;

Sed

Sed ſua cuique dies & fixi terminus æui
Stat,quem non vltra,non curſu tendere citra
Fas hominum cuiquam fuit; aſt hanc cernere vitæ
Mortalis metam nequeunt mortalia corda;
Nouit eam,qui cuncta videt,qui cuncta gubernat,
Quem penes eſt vnum vitæ mortíſque poteſtas.
Illius ex hac te Domini ſtatione vocantis
Imperium,placidóque exſpecta pectore nutum.
Hoc vbi voluendis tempus iam venerit annis,
Quos modò mors ſpatijs mœſtos diuellit iniquis,
Tunc hilares cœlo Chriſtus coniunget eodem.
Illic in nobis & in omnibus omnia ſanctis
Chriſtus erit,cunctos illic ſuperantia ſenſus
Gaudia carpemus nullum peritura per æuum,
Illic & patris & gnati flatúſque perennis
Colloquijs admirandis vultúque fruemur,
Diuinæ auguſtos & maieſtatis honores
Attentis animis læti admirabimur,atque
Theſauros nobis tantos in ſede repoſtos
Cœleſti,æternùm grato celebrabimus ore.
Hæc ego iam certa,Chriſto ſit gratia,mente
Gaudia præcipio,iam nunc mihi viuere cœlo,
Et videor portum iam nunc intraſſe petitum.
Quàm mihi,q̃ ſolida eſt iſthæc,quã ſancta voluptas,
Quam licet afflicto grauiter mens corpore ſentit!
Sed nimis huc properare caue,caue optime coniux,
Hoc gnata innupta,moneátque Eccleſia Chriſti,
Quæ plantata tuis non infeliciter agris,

Te ſibi cultorem ſeros exſpectat in annos.
Ergo age, téque Dei dextræ ſubmitte potenti,
Imperióque volens pare illius; haud tibi caſus,
Haud Fortuna tuam Mariam ſubducit, at ille
Qui terræ iuſtáſque poli moderatur habenas,
Me tibi, ſperatam cœli præmittit in arcem.
Huic tu iudicio nolis pugnare dolendo.
Fac pia nunc animum ſubeat ſententia, ſanctis
Quam laudare mihi ſermonibus vſque ſolebas,
Sic eat, vt tu Chriſte voles; ſolamine mœſtam
Hæc tibi nunc certo confirment ſymbola mentem.
Adde, quòd hoc etiam triſti patientia caſu
Quæ tua ſit, quanta aduerſis conſtantia rebus,
Explorare velit Deus, atque augere benignus
Aerumnis in te varijs, luctúque frequenti,
Auxilij deſiderium cœleſtis, & huius
Fluxæ neglectum vitæ, iuſtíque timorem
Numinis haud fictũ, ſpẽ firmã, animúmq; modeſtũ,
Et ſoli gnarum Chriſto confidere pectus.
Creſcit enim duro virtus iactata labore;
Aſt eadem rebus nimis exhilarata ſecundis
Luxuriat, ſenſímq; ſuum deperdit honorem,
Ingenti donec vitiorum mole ſepulta
Intereat ſecura Dei, ſecura futuri
Iudicij, ac pœnas ſerò deploret acerbas.
Iccircò duris verſat iactátque periclis,
Luctúque ac morbo, curíſque affligit amaris,
Quos varias mundi ſparſos hinc inde per oras,

Egre-

Egregio Deus ante alios dignatur amore,
Scilicet expertes vt ne vacuíque malorum,
Corruptæ incipiant laxare licenter habenas
Naturæ, inq; alia ex aliјs peccata ruentes
Securè, quocunq; trahit damnoſa voluptas,
Pro nihilo ducant diuinæ dogmata legis,
Immemorésque Dei, ius fásque infringere tentent,
Et tandem æternæ multentur carcere mortis.
Exemplum cape Thariaden, Tharæque nepotem,
Et ſanctum Iſaciden, & caſti robur Ioſeph.
Fatidico inuictus iungatur Ioſua Moſi,
Et cæco Tobiæ luctus patientis Iobi.
Tum. quos præterea curis exercuit atris,
Præ reliquis, caros ſibi delectósque miniſtros,
Iuſtus & immenſi ſapiens Deus arbiter orbis.
Namque Duis veluti coquitur fornacibus aurum,
Nec perit, at multo coctum fit purius igni:
Triſtibus haud aliter ſanctorum corda periclis
Expoſita, aſsiduus curarum percoquit ignis,
Vt niteat puro patientia purior auro,
Et quoſuis contra perduret firma labores.
Nec funus caræ primus, Friderice, queréris
Coniugis ereptæ; multos dolor iſte, piósq;,
Et claro quondam torſit de ſanguine natos.
Nam calcanda ſemel cunctis eſt ſemita lethi.
Luxit Thariades Saram, Abramidésque Rebeccam,
Iſacidésque Liam fleuit, pulcrámque Rachelem.
Atque adeò, antiquo ne exempla petantur ab æuo,

Rex pius & fortis. Magnus Theodoſius an' non
Flaccillam egregiè coràm, nullíque ſecundam
Matronæ, vera in Chriſtum pietate fidéque,
Et larga miſeris promtam ſuccurrere dextra,
Hortaríque ſuum ſolitam perſæpè maritum,
Eſſe Deo ingratus quò ſedulus vſque caueret,
Défunctam fleuit, magnóque affecit honore?
Nónne ſuam luxit Rex Maximus Aimilianus
Burgundæ Mariam prognatam ſanguine ſtirpis,
Quam fuerat tanto viuàm complexus amore,
Illius vt quoties ſubijſſent nomina functæ
Iam vita, ex alto traheret ſuſpiria corde,
Et gemitu veteris flammam renouaret amoris.
Sed tamen hos etiam fatum diuulſit amantes.
Atque alijs multis thalami vitæque fideles
Eripuit ſocias, & funere preſſit acerbo
Atra dies animum quos nec memorare neceſſe
Hîc omnes, & me ſantem mors impedit vrgens.
Ergo hominum ne te communi ſubtrahe ſorti,
Et varios vitæ caſus tolerare memento
Fortiter, ac nullis frangi vincíque periclis,
Monſtrârítque viam Chriſtus quamcúnq; ſequaris.
Præterea quæcunque pijs, ſeu triſtia, ſiue
Eueniunt hîc læta, Deus moderamine miro
Temperat, optato claudantur vt omnia fine,
Vt quod principiò damnum irreparabile credant,
Id tandem videant bona non ſperata tuliſſe.
Et mea mors igitur, licet acri pectora morſu

Nunc

Nunc tua ſollicitet, tamen haud pòſt tempore longo,
Non ingrata tibi præſtare hanc commoda diſces,
Quando alijs iterùm, Princeps, cariſſime, curis
Implicitus, diríque noua Satanæ arte petitus
(Vita quid eſt mortalis enim, niſi cura dolórque,
Quídue petit rabie Satanas maiore, per omnes
Quàm cadat vt Chriſti ſuppreſſa eccleſia terras?)
Ipſe vltrò dices me térque quatérque beatam,
Et Mariam vario mundi ſauóque tumultu
Gaudebis vacuam, ac cœlo, Friderice, receptam.
Tunc quoque tu tanto vacuus libérque dolore,
Quem diuturna mei pariunt tibi tempora morbi,
Ardua ſuſcipere hinc animo certamina magno.
Audebis, virésque Deo præſtante, valebis.
Fortibus atque etiam, ſi res ferat, acer in armis,
Nil metues Chriſti nomen laudésque tueri,
Intrepidóque tuos, Satana frendente, per agros.
Corde ſcholas, ſacrósque Deo defendere cœtus,
Sícque tua lætus pacem ditione fouebis,
Namque mei, dices tacitus, pars altera cœlo
Percipit æternæ iamdudum gaudia vitæ,
Altera per caſus varios, per mille pericla,
Triſti in terrarum iactanda relinquitur orbe.
Et tamen hæc etiam cœli tandem ibit in arcem
Optatam, & parti iungetur læta priori.
Quos me cúnque voles igitur perferre labores,
Chriſte Deus, iuſtas tantùm mihi ſuffice vires,
Conſtanti promtus tolerabo pectore. námque

Dimidia iam parte mei ſuper aurea felix
Aſtra feror, reliquam nec vis inde vlla repellet.
Sic tibi, ſic Friderice graui quæ vulnere pectus
Mors modò perturbat, curisque ſequacibus implet,
Illa nouo deinceps eadem tibi robore mentem
Muniet aduersùs vitæ quoſcúnque labores.
Dulcia vertetur ſic mors in gaudia vitæ,
Cunctáque ſperato claudentur triſtia fine.
Nec verò ſubiti rapit inclementia fati
Me tibi, non præceps, non immatura videri
Hæc tibi mors debet, iamdudum ætate labaſcit
Vox mihi, nec teneros gelidi iam corporis artus
Robore ſanguis alit ſolito, concedere tempus
Eſt nunc hinc alias in ſedes, ſtent vbi vires
Perpetuæ, nec me morbis grauet ægra ſenectus.
Sat mihi luſtra nouem, & quatuor vixiſſe per annos.
Quam licuit paucis vitæ contingere metam.
Iámque ſuum decies ternis Sol aureus orbem
Curſibus impleuit, coniux dulciſsime, poſtquàm
Connubij ſacro Mariam tibi fœdere ſponſam
Iunxiſti, quæ te generoſa ſæpè parentem
Prole, Palatinæ dilatans ſtirpis honores,
Reddidit. hæc caſti eſt merces gratiſsima lecti.
Nam tibi te dignos animóque & corpore gnatos
Sex peperi, & forma quinas præſtante puellas.
Ex quibus heu primo cecidêre in flore iuuentæ,
Auarici Hermannus Ludouicus merſus in vndis,
Albertus valida Plaſburgi exſtinctus in arce,

Nec

Nec procul hinc, minimus Phorcenſi Carolus vrbe,
Et natu maior reliquis Alberta puellis,
Noſtráque funeſto turbârunt atria luctu.
At reliquam nobis bonitas diuina valentem
Seruat adhuc ſobolem; fines Ludouicus auitos
Temperat & iuſtis Ambergam legibus vrbem.
Floret Ioannes viridi Caſimirus in æuo,
Nomine maternum qui reddit auúmque paternum,
Et belli & pacis claros heroas honore.
Inque reluctantes vt vis innata dracones
Bellatricem aquilam pedibus demittit aduncis,
Inq; vrſos turpes, taurósque, lupósque rapaces
Patrius impellit vigor atq; animoſa iuuentas,
Et pugnæ acer amor depulſum lacte leonem:
Haud aliter mente hic heroa & fortibus armis
Prælia iuratos Chriſti meditatur in hoſtes,
Cúmque pijs ſciat officium ducis eſſe, benignam
Oppreſſis præbere manum, impauidúmque tueri
Vim miſeros contra iniuſtam, fraudémq; malignam,
Et meritas Chriſto in terris defendere laudes,
Pro grege nil dubitat Chriſti, pro legéque ſacra
Magnanimus durum Martis tolerare laborem,
Atq; etiam hiberno moliri ſidere caſtra.
Tertius Allobrogũ procul hinc trãſmiſſus in oras,
Moribus & ſtudijs generoſum pectus honeſtis
Chriſtophorus decorans, laudato principe dignas
Artes & linguas florentibus impiger annis
Addiſcit, ſequitúrque pijs grata otia Muſis,

Iámque ſui fructus & præmia digna laboris
Percipit, incipiens latè volitare per ora
Docta virûm, externis procul & clareſcere terris.
Tantus ineſt amor & diſcendi tanta cupido.
Hunc tu olim (nam me mors ſubtrahit aſpera rebus
Humanis, nec me tali dignatur honore)
Adſpicies lætus reducem, pia ſi modò vota
Aſsiduásque preces placida Deus accipit aure,
Et tali verè cenſebere prole beatus,
Quæ magna exornet clarorum nomen auorum
Doctrina, & pulcris celſum genus artibus æquet,
Sítque tuæ decus & ſolamen dulce ſenectæ.
Atque vtinam ò animo gnate optatiſsime noſtro
Chriſtophore hîc coràm (ſatis es nam cetera felix)
Extremam præſens ex matre audire ſalutem,
Et caræ extremum poſſes vale dicere matri.
Tum gnatæ nobis binæ, Friderice, ſuperſunt,
Saxonicæ thalami coniunctæ fœdere ſtirpi,
Maior Ioanni Friderico nupta Secundo,
Altera Ioannis thalamo dignata Gulelmi,
Illa piam referens Baptiſtæ nomine matrem,
Dorothea, hæc gemini Suſanna inſignis honore
Nominis; aſt Anna Eliſabeth, dulciſsime coniux,
Cungundíſque Iacoba pias cum fratre profundunt
(Adſpicis en coràm) lacrymas, largóque madentes
Molles imbre genas, mœſtæque ante ora parentis,
Vtráque virgineo vultúmque oculóſque pudore
Demiſſa, ac teneris plangentes pectora palmis,
Imma-

Immatura ſibi, nimiùm properatáque caræ
Funera deplorant matris, gemitúque dolorem,
Singultúque pium crebro teſtantur amorem.
O mihi, mœrentes, dulciſsima pignora, gnatæ,
O mihi ſi vitam tot produxiſſet in annos
Ille ſuo iuſtè flectens Deus omnia nutu,
Connubio digno vobis vt læta beare,
Et poſſem in thalamum vos lætas ipſa iugalem
Ducere: ſed tantum mihi mors inuidit honorem,
Et pater hæc, Friderice, tibi curanda relinquo.
Ergo ſimul multos vitam cùm ſuauiter annos
Egerimus, talíque Deus nos prole beârit,
Hæc reputans, iuſtos animi moderâre dolores.
Vóſque ego, vos moneo, genitrix fidiſsima gnatas,
Incolumes mihi cura Dei quas prouida ſeruat,
Officijs veſtro meritis lenite parenti
Curas, infirmaque incommoda multa ſenectæ,
Et pia ſectantes caræ veſtigia matris,
Deſertas viduas, caríſque parentibus orbos
Pupillos, veſtráque alios bonitate leuandos,
Conſilio donis, operáque iuuate benigna.
Viuite concordi felices fœdere gnatæ,
Et caræ inter vos meritis certate ſorores,
Nec canum iniuſtis odijs turbate parentem,
Iampridem nimijs confectum pectora curis.
Nunc Suſanna tuis, nunc Dorothea eſſe memento
(Nam potes) ac viduæ præſens ſuccurre ſorori,
Et memor incertæ ſortis, caſúſque volutans

Humanos animo, Germana principe dignis
Germanam mœſtam obſequijs, ſermonéque blando,
Matris ſuſcipiens partes, ſolare fouéque,
Et parui tibi ſint curæ, mea cura, nepotes.
Hos tu, dum procul à patrijs pater exſulat oris,
Pro patre, cum cara tutos educito matre.

Fortia quinetiam maiorum facta ſequentes
Vos gnati, veſtrum cura releuate parentem
Ingenti, & luctu, quo nunc cruciatur, acerbo.
Clara Palatini generis ſic ſtemmata, veſtris
Egregiè ò iuuenes factis, & robore duri
Martis, & optatæ florebunt pacis honore.
Hoc monet inſigni clarus pietatis amore
Vos genitor gnatos Fridericus, idémque Philippi
Magnanimi excellens herois & inclyta virtus
Vos tacita hortatur, forti quo vindice quondam
Inſidijs & preſſa graui obſidione Vienna
Conatus diros Solimanni, animúmque ferocem
Contudit, & victum fœdè dare terga coegit.
Inſuper in laudes heros Fridericus eaſdem
Vos ille accendit, clarum Victoria nomen
Cui dedit, vmbroſas quà ſe Nicer abdit in vndas
Vitiferi Reni, triplici tres agmine quando
Inſtructos hoſtes, virtute atq; arte probanda,
Viribus & numero inferior licet hoſtibus eſſet,
Fudit, & hanc victor captos abduxit in arcem.
Nec verò iuuenes, fortiſſima pectora, ſtirpis
Maternæ vobis virtutum illuſtria deſunt

Exem-

Exempla, ad pacem quæ vos hortentur & arma,
Iuſtus vbi arma dolor vos iuſta capeſcere coget.
Eſt Caſimirus auus, duris & auunculus armis
Nobilis Albertus, magnos bellator in hoſtes
Fortis, at haud nimium (ſic ſunt mortalia) felix.
Eſt abauus vobis quoque nomine clarus eodem,
Brandenburgiacæ decus & noua gloria gentis,
Quo ſe olim forti Germania fortis alumno
Extulit ante alias gentes, virtute manúque
Qui ſibi Teutonici peperit cognomen Achillis;
Heroásque alios, bellorum atque artibus almæ
Pacis honoratos, maternum ortúmque paternum
Quò longæ, gnati, ſerie referatis, habetis,
Quos omnes magno vox debilitata dolore,
Et ſiccæ fauces, gelidæque potentia mortis
Iam me iámque premēs, & frigore mēbra reſoluens,
Enumerare vetat, verbíſque ornare diſertis,
Ipſorum quantum virtus æterna meretur.

Horum igitur fortes animos, patríæque iuuandæ
Egregium ſtudium factis ſuperate decoris;
Sin minus hoc liceat, ſaltem exæquate ſequendo.
Et pia ni blando matrem ſpes fallit amore,
(Sed, ſcio, non fallet matrem) virtutis auitæ
Indignos nunquam hos iuuenes, Friderice, videbis.
Non etenim trepidas aquilæ generare columbas,
Nec timidum poterit ceruum, ſegnémue iuuencum,
Magnanimum inuicti robur proferre leonis.
Nec, dilecte mihi coniux, hanc fortibus ortam

Atque bonis prolem maioribus, arguet vllus
Vnquam degeneres & auitæ laudis egentes.
Talis, ne dubita, ſoboles, poſt matris acerbum
Funus, ſollicitas curas & tarda ſenectæ
Leniet officijs tibi tædia ſuauibus, & iam
Aeui maturo meritos præſtabit honores.
Atq; ita, quo cruciat mea nunc mors aſpera luctu,
Hoc tua te ſoboles releuabit grata parentem,
Quam Deus incolumem multos tibi ſeruet in annos.
Ergo pias tandem lacrymas, dulciſſime coniux
Siſte, nec immodico turba pia pectora luctu,
Aeternam ne fortè mihi videâre ſalutem,
Et ſperata diu cœleſtis gaudia vitæ,
Grata quibus tandem potiundis limina pandit
Iam me mors vrgens, tanto inuidiſſe dolore.
Illic vera mihi pax, illic munere Chriſti,
Parta quies, vaſtum fuit hîc mundi æquor arandum;
In quod me nimijs lacrymis reuocare caueto.
Præterea vitam vix iam traho mœſta per annos
Bis tecum denos, curis te ſemper acerbis
Sollicitans, tardi quas fert mora noxia morbi,
Qui neque nunc ſolito quidquam de more remittit,
Sed ſæuus, corâm vt cernis, mihi creſcit in horas,
Nec patitur certam vitæ ſperare ſalutem.
Sat tibi curarum, ſatis eſt huc vſque dolorum,
Quîs equidem non ſponte mea te macero, ſed quos
Pectore tu ſemper forti, Friderice, tuliſti.
His igitur tandem te Princeps optime curis
Libero, longinqui ſuperans faſtidia morbi

Morte

Morte mea, & requiem ponens finémque labori.
Hæc mea ſors, hic eſt vitæ mihi terminus actæ,
Exſpectanda ſuo tua ſors tibi tempore reſtat.
Intereà fidei noſtram commendo paternæ,
Quæ ſupereſt, ſobolem; pater hanc tuearis améſque,
Chriſtophorum inprimis; innuptas deinde puellas,
Quod facis, vſq; foue, dignis & honoribus orna.
Sed quid ago? morbo iã mẽbra exhauſta vetuſto,
Hánc q; animã, quæ vix, morti iam proxima, ſpirat,
Cur etiam nimio ſolandi affligo labore?
Sat tibi, ſat fando ſtudui lenire dolorem,
Sat quoque naturæ vixi, iam tempus abire eſt.
Nam mihi iam gelidi laxat mors corporis artus,
Et vocat optatam cœli me Chriſtus in aulam.
Ergo vale, Friderice vale, vale Optime coniux,
Et vale Ioannes longùm Caſimire, rebelles
Magnanimũ intrepidus Chriſti fer pectus in hoſtes,
Atque piæ promtus turbæ ſuccurre; valete
Vos quoq; poſtremùm binæ, mea viſcera, gnatæ;
Quos caræ ante torum mœſtos adſtare parentis
Adſpicio, & lacrymis perfundere grandibus ora.
Nil profecturos ſed tandem ſiſtite queſtus,
Et memori has voces maternas condite mente.
Hoc amor à vobis, pietáſque paterna requirunt,
His Deus officijs, hoc delectatur honore.
Tu quoq;, tu tandem lacrymis & parcere luctu,
Plus vita dilecte mihi Friderice memento.
Cúmque tibi toto fuerim gratiſſima noſtri
Tempore coniugij, quod nunc quoq; læta recordor,

Noſtráque cùm nulli turbârint fœdera caſus,
Coniunctóſque animos,ego te, Mariámque viciſſim
Vſque tuam vero tu ſis complexus amore,
Alteriúſque alter ſemper pia vota probârit,
Hoc etiam extremum facilis concede roganti,
Idque (per hanc dextram,per noſtri pignora amoris,
Oro,per hanc caram ſobolem) violare caueto;
Ne mihi,ne Friderice tuis augere dolorem
Perge meum lacrymis,languenti parce ſenectæ,
Parce tuæ,incolumémque diu patriæque tuíſque
Te ſerua,& nimio vires ne frangito luctu.
Hoc tua te lacrymans,iam iam moriturâq; coniux
Obteſtor,nec vota ſines tàm iuſta perire.
Sic adeò ex terris in cœlos lætior ibo.
Hæc mea ſunt ad te,Friderice,nouiſſima verba.
Ad te mœſta mei flecto nunc lumina cordis,
Atque omnes in te ſenſus defigo,remotis,
Quod poſſum,ex toto mundanis pectore curis,
Vere,æterne Deus,terræ cœlíque creator,
Iuſtitiæ cuſtos,ſcelerúmque acerrime vindex,
Sed non dure tamen veniam concedere lapſis,
Et fide humani generis defenſor & autor,
Aeterno cum patre,patris ſanctiſſima proles
Chriſte Deus,ſummúmque ſacri ſpiramen amoris,
Tu miſeræ,varijs & te perſæpè fatenti
Offendiſſe modis,placidus peccata remitte
Cuncta mihi,propria motus bonitate,rogantis
Haud vllo merito,polluti pectoris omnes,
Me quoq; quæ fugiunt,maculas atq; ablue ſordes

Inne-

Innocuo, fudit quem pro me, ſanguine Chriſtus,
Inque fidem, curámq; tuam, dextrámq; potentem,
Accipito hanc clemens animã, quã morte redemtam
Ipſe ſua, propriam Chriſtus ſibi vendicat, hácque
Corporis ereptam vinclis, & carcere cæco
Peccati & mortis, cœleſtem transfer in aulam,
Inque tuum nullo periturum tempore regnum.
Hósque meos anima poſtquàm ſeduxeris artus,
Qui ſummo in terris, poſt te, Fridericus amore
Eſt mihi dilectus, longos huic profer in annos
Incolumem vitam, Satánæque iniuſta potenter
Hunc odia atq; minas contra defende feroces,
Et mihi quam tanto donaſti coniuge prolem,
Hanc merito ornatam conſerua ſemper honore,
Vt videant læta ſeros in pace nepotes,
Vtque Palatinæ æternùm ſtet gloria gentis.
Quémq; tuos iuuenem Caſimirum mittis in hoſtes,
Huic animum & iuſtas in prælia ſuffice vires,
Vt ſæuo redeat confecta victor ab hoſte
Pace domum, & veræ ſit relligionis aſylum.
Da, maneat Chriſti noſtris eccleſia terris,
Sinceróque tuum nomen celebretur honore,
Diuinóque mei confirma flamine pectus
Coniugis, in vaſto quem gurgite linquo laborum,
Vt tibi promeritos conſtans tueatur honores,
Et populum ſancta felix in pace gubernet.

Obijt Eitelbergæ, 31. Octob. anno Chriſti 1567.

Epitaphium Thomæ Grinei, Eccleſiæ Rotelanæ paſtoris, & vicinarum Marchicarum inſpectoris.

Hoc tumulo Thomæ Grinei membra teguntur,
Qui gregis hac Chriſti paſtor in æde fuit.
Huic Simo frater erat patruelis, cuius ad omnes
Ingenium, probitas nota, probata fides.
Principiò lingua docuit monumenta Pelaſga,
Nobilis ad Renum quà Baſilea iacet.
Pòſt, ita cùm Chriſto viſum eſt, ditione Badenſi
Prædicat in templis dogmata ſancta Dei,
Et ſibi commiſſum Chriſti procurat ouile
Hîc, vbi ſtant Rotelæ mœnia celſa domus.
Sic tandem vitæ, dederas quod Chriſte, peracto
Curriculo, placida morte ſolutus obit.
Oſſa tenet tellus; cœleſti viuit in aula
Spiritus; extremus iunget vtrumque dies.

Obijt poſtrid. kal. Sextil. anno 1564.

Epitaphium Nicolai à Marvvitz Marchici.

Docti & nobilis oſſa Nicolai
Iſta Maruitij teguntur vrna,
Quem potens genuit viris & armis
Tellus Marchica; ſed pium parentem
Mors huic aſpera ſuſtulit, priuſquàm

In vita puer exiiſſet auras.
Filium vnigenam pudica mater
Luſtra bis duo vix, duósque natum
Annos, heu lacrymis & eiulatu
Abreptum queritur ſibi. Ergo quiſquis
Hæc leges, hominum, memor, caduca
Quàm ſit vita, Deum timere diſce.

Obijt Eitelbergæ, pridie eid. Maias, circa nonam veſpertinam, anno Chriſti 1569.

In obitum Clariſſimi viri, D. Victorini Strigelij, Profeſſoris Academiæ Eitelbergenſis, collegæ mei honorandi, ad Studioſam iuuentutem.

Hei mihi, quàm varijs hominũ, quàm plena querelis
Vita quot & quantis ſubiacet iſta malis!
Ingenio, eloquio, doctrina atque arte potentem,
Et morum ſancta ſimplicitate grauem,
Cuius erat totum gratiſſima fama per orbem,
Strigelium noſtræ ſpémque decúsque ſcholæ,
Eripuit dura nobis violentia mortis,
Noſtráque funeſto corda dolore premit.
Flebilibus mecum doctiſſima turba virorum,
Flebilibus luge grex ſtudioſe modis.
Strigelio ſimilem multis vix vidit ab annis
Hæc ſchola; vix referent ſecla futura parem.

Sed malè proueniunt animo quia carmina mœſto,
Me dolor hic ſolito more docere vetat.

Obijt Eitelbergæ, VI. kalend. Quinctil. circa 4. pomeridianam, anno Chriſti 1569.

Memoriæ Xylandri collegæ & compatris cariſſimi.

Luge Auguſta tuum, luge Eitelberga Xylandrum,
Lugete & veſtrum Rene Nicérque decus.
Heu nimiùm propero rapuerunt funere tantum
Fata virum, ſtudijs ſemper iniqua bonis.
Námq; habuit celeri vix mentis acumine quemquã,
Et promta ingenij dexteritate parem;
Cui miranda fuit coniuncta ſcientia rerum,
Ingenio, vt dubites, maior an arte foret.
Ethicus, hiſtoricus, phyſicus, logicúsque, poeta,
Muſicus, & ſuper hæc cuncta mathematicus;
Nec fuit hæc tantùm, ſed pluribus inſuper ipſum
Inſtructum voluit dotibus eſſe Deus.
Auſonia, Ebrææ, linguǽque peritia Græcæ
Maior in hoc, quàm quis credere poſſet, erat.
Denique ſic cunctis excelluit artibus, vnam,
Poſthabitis alijs, vt coluiſſe putes.
Talem exornabat ſollers facundia mentem,
Ex largo fundens verba diſerta penu.

Adfuit

Adſuit & duri tolerantia mira laboris,
Et vigiles noctes ſollicitíque dies.
Moribus & vita caſtus, ſermone facetus,
Sed docto, conſtans propoſitíque tenax,
Nec docilis ſimulare, iras in fronte gerebat,
Non tamen has iuſtè ponere difficilis.
Sacrorum inprimis flagrauit amore librorum,
Attenta hos verſans aſſiduáque manu.
Sic vbi, quod vita dederat natura, peregit
Curriculum, placida morte ſolutus obit.
Tu lætus, tutam cœli translatus in arcem,
Depoſitis terra corporis exuuijs,
Felices animas inter, cœtúsque piorum,
Aſpectu frueris colloquióque Dei;
Nos miſeri ſæuo iactabimur æquore, donec
Seruatos iungat ſumma, Xylandre, dies.

Obijt Eitelbergæ, IV. eid. Februar. anno 1576.

Ad Clariſs. viri D. Xylandri Manes.

Si par imperium Muſis Parcíſque fuiſſet,
Lugeret mortem nemo, Xylandre, tuam;
Illa immortalem ſibi te ſupereſſe volebant,
Ductorémque ſui præſidiúmque chori;
At non Parcarum tulit hoc violentia votum,
Quæ rapere è terris optima quæque ſolet.

Nec tamen optatum prorſus tulit; illa ſepulcro
Quæ condi fas eſt, condidit oſsicula,
Et quod terrenum, dubium, breue, quódq; caducum,
In ſumma, tantùm putre cadauer habet:
Ingenij fœtus diuinos, & pietatis
Fructus, & famam condere non potuit.
His immortalis tu reddere docte Xylandre,
His volitas paſsim docta per ora virûm.
Qui Charonei vitas, problemata, mores,
Et qui Coccei perlegit hiſtoriam,
Quémq; Geographici delectant ſcripta Strabonis,
(Vertit & exterſit quæ tua cuncta manus)
Te celebrat gratus, te cœlo laudibus æquat,
Appoſitam exoptans pluribus eſſe manum.
Commoda quid memorem Venuſino præſtita vati,
Quem tu dum ſanas, ipſe peris medicus?
Is tua ope elutis maculis, ſpiniſque reuulſis,
Quas imprudentes tranſierant alij,
Nunc ſtudioſorum teritur gremijs manibúsque,
Nil vt eis lectu ſuauius eſſe queat.
Cetera prætereo grauium monumenta laborum,
Quæ viuus dederas, poſtuma quǽque dabis,
Ob quæ grata tuum nomen diffundet in æuum
Poſteritas, Tuus & primitùs Vridryus,
Qui Tuus, hoc claris & doctis manibus olim
Eſſe tuis paruum mnemoſynon ſtuduit.

Veſaliæ Cliuorum, VI. kal. Maij,
anno CIƆ. IƆ. LXXVI.

Iohan-

Iohannes Oridryus F.

Τῦ αὐτῦ ἄλλο.

Ὅστις ἐπιβλέψεις παρεὼν τοῦτόν ποτε τύμβον,
ὡς μουσῶν σπουδῇ γέντο τοῖός δε, μάθε.
Μελπομένη μὲν ἐπισαμένως τὸ ξέσσε γε λᾶαν,
Αὐτῷ τοῦ νέκυος κρυψαμένη τὸ δέμας.
Νίψατο Καλλιόπη πολὺ μιν καὶ δακρυχέουσα,
Ἔκμαξεν τ' Ἐρατὼ τοῖς πλοκαμοῖσιν ἑοῖς.
Ἔπτα δὲ καὶ λοιπῶν τὰ δέοντα ἔδρασεν ἑκάστη,
Οἰμώζουσα τόσον φῶτα γ' ἀποφθίμενον.
Τῷ δ' ἅμα τυμβευθέντι ἔδοξεν τυμβευθῆναι
Αὐτὸς καὶ Κικέρων, εὐεπίης τε χαλή.
Σύνθεο νῦν, ὃς ὁρᾷς Μουσάων πόσον ἔελδωρ,
Καὶ πόσον τῆς δμοσύνης κῦδος ἔνεστι τάφῳ.

Epitaphium Martini Lagi Stolpenſis Pomerani, eccleſiæ Dei in Doſſenheim propè Eitelbergam, paſtoris, affinis mei cariſſimi & iucundiſſimi.

Hoc Martine tui tumulo Lage corporis arcto
Exuuiæ (petijt ſpiritus aſtra) cubant.
Terra potens armis, Pomerania, & vbere glebæ,
Te tulit; hîc patrium dat tibi Stolpa ſolum.
Leucoris excoluit mentem; Norlinga fidelem
Doctorem ſenſit te gregis eſſe ſui.

Inde Palatinos, Chriſto duce, miſſus in agros,
Functus es officio gnauus, vt antè, tuo.
Mira tuis inerat facundis gratia dictis,
Et mores hilari cum pietate graues.
Sic vbi præfixæ compleſſes tempora vitæ,
In cœlos, placida morte vocatus, abis.
Nunc hîc ad reditum, viridi ſub ceſpite, Chriſti,
Extremæ exſpectas præmia certa diē.

Obijt in ſua parœcia Doſſenheimenſi, 5. kal. Nouemb. anno 1566.

Epitaphium Gerardi Verſtegi Geldri, eccleſiæ Dei in oppido Altzea, paſtoris, amici coniunctiſſimi, & affinis mei cariſſimi.

Poſt varios vitæ caſus, morbíque dolores,
Hoc poſui tumulo corporis exuuias.
Geldria me genuit, fouit Dauentria, pectus
Excoluit Muſis nobile Roſtochium.
Inde mihi Reni, Meni, Rhodaníque, Nicríque
Vrbes atque ſcholas viſere cura fuit.
Tandem Altzeanas, vndenos circiter annos
Sincero paui dogmate paſtor oues.
Sic, vbi, quem dederas curſum mihi, Chriſte, peregi,
In cœlum placida morte ſolutus eo.

Obijt Eitelbergæ, quò ſe deportandum Altzea curârat, 24. Septembris, anno 1572.

Epi-

Epitaphium Baſilij Pithopœi, fratris mei vnici & cariſſimi, & coniugis eius Adelheidæ Vuilhelmæ.

Hic ego cum cara Baſileus Pithopœus Aleida,
Exſpecto reditus gaudia, Chriſte, tui.

Obdormiuerunt placidè in Domino, Lugduni Batauorum, ille 30. Martij, hæc 12. Aprilis, Anno 1576.

Epitaphium, quod ipſe mihi ſcripſi in morbo, Eitelbergæ, 7. kal. April. anno Chriſti 1579.

Hac Lambertus humo Pithopœus, Chriſte redemtor,
Exſpecto reditus tempora læta tui.

Epitaphium Zachariæ Vrſini, Theologi & Philoſophi, noſtra ætate, præſtantiſſimi.

Hic VRSINE *iaces, vbi parua Neapolis amplas*
De Nemetum paruo flumine fundit opes.
Inclyta progenuit te Vratislauia, mentem
Artibus erudijt Leucoris alma tuam;
Lipſia, Parriſij, Tigurum, Baſilea, Geneua
Largiter has donis excoluêre ſuis;

Eitelberga decem ſeptémque, Neapolis annos
Quinque, eſt ingenij dotibus aucta tui;
Conſilio, dextra, ſonuêre & voce diſerta
Sincerè Chriſtum templa, ſcholæque tua.
Immodico tandem ſtudij vítæque labore
Ereptus nobis, conderis hoc tumulo.
Magnus eras totū, dum vixti, V R S I N E, *per orbē;*
Sed tua poſt mortem gloria maior erit.
Peſtis eras viuens; moriens, damnoſa Papatus
Mors eris antiqui, & certa ruina noui.
Cum lacrymis, Pietas, Doctrina, Modeſtia, Candor,
Corporis exuuias hîc poſuêre tui.

Obdormiuit Neapoli Nemetum placidiſsimè in Chriſto, die ſexta Martij, hora veſpertina ſexta, anno 1583.

Vixit annos 48, menſes octo, dies ſex, horas viginti & duas.

Sepultus eſt 8. Martij, in templi choro.

Memoriæ & honori.

ZACHARIAE VRSINI, Theologiæ Doctoris, viri ſanctiſſimi & prudentiſſimi, déque Eccleſia & Republica Chriſtiana optimè meriti, hominis doctiſſimi & ingenioſiſſimi, iudi-

Iudicióque exactiſſimo diuinitùs exornati, Theologi ſinceriſſimi, veritatis cœleſtis propugnatoris voce & ſcriptis conſtantiſſimi, hæreſeῶn profligatoris acerrimi, Philoſophi acutiſſimi, moderatoris diſciplinæ ſcholaſticæ peritiſſimi, amici & collegæ mihi per annos viginti coniunctiſſimi, flens ſcribebam hæc Neapoli Nemetum, Poſtridie Nonas Martias, anno 1583.

De eodem.

Clarius V R S I N O *Germania,* M A R T Y R E *tel-*
Itala, C A L V I N O *Gallia nomen habet. (lus*

De eodem.

Curia, tẽpla, ſchola, te ſtante, V R S I N E *virebant;*
Téque iacente arent curia, templa, ſchola.

In Cunradum Zollerum Heſſum.

Non moreris moriens, Cunrade, ſuperſtite gnato,
Doctrina, ingenio, & qui te virtutibus æquat.
Nomen idem, pietas, & agendis gratia rebus

Eſt par. ò nimiùm gnatúmq; patrémq; beatos,
Queis ſic dextra mori, ſic viuere fata dederunt.

Obijt Hirſsfeldiæ 23, Iulij, anno 1572.

In Cunigundam Ditterićam, Cunradi Zolleri filiam, Marpurgi, 15. Octobris, anno 1572. altera poſt partum die, ſaluis gemellis maſculis exſtinctam.

Vita quid eſt, niſi mors? quid mors, niſi ianua vitæ?
Si benè vis ergo viuere, diſce mori.
Debemur morti viuentes, at morientes
Debemur vitæ, munere, Chriſte, tuo.
Naſcendo morimur, moriendo naſcimur. hoc nos
En docet exemplo fœmina fœta nouo.
Nam moritur pariens fratres Cunigunda gemellos
Haſsica. ſic animas mors dedit vna duas.
Et viuunt hodie, iam functa matre, gemelli.
Sic mors eſt vitæ proxima, vita neci.
Non igitur delet mors cuncta, ſed optima tandem.
Hæc nobis vitæ dux melioris erit.

Poſtrid. eid. Mart. anno 1584. in gratiam Cunradi Zolleri Publiani, defunctæ fratris.

LAMBERTI LV-DOLFI PITHOPOEI, Dauentrienſis, Poematum liber tertius.

NVPTIALIA.

Ad DAVIDEM SIGEMVNDVM Caſſouienſem.

Qui nouus es nuper factus, Sigemunde, maritus,
Hac cape de caſto carmina ſcripta toro.

Laus & Commendatio Coniugij.

CHriſte nouo tædas dignate ornare iugales
Munere, & ad caſtos ipſe venire toros,
Annue conanti facili deſcribere verſu
Laudes & ſancti præmia coniugij.
Et labor, & ſtudium, conatus & irritus omnis,
Optatam tua ni dextera præſtet opem.
Da faciles igitur ſuſcepta ad carmina vires,
Atque faue cœptis, Chriſte benigne, meis,
Illuſtra teneram diuino flamine mentem,
Vt referant laudes carmina noſtra tuas,
Atque rudem iuuenis linguam tu Chriſte guberna,
Vt tibi, quæ ſcribo, ſcribere grata queam.
Ergo Dei licet haud homini ſapientia prorſus
Nota ſit in caſti fœdere coniugij;

Cuncta tamen Deus à nobis reuerenter haberi,
Ac opera extolli poſtulat ipſe ſua.
Prima ſit hæc igitur genialis gloria lecti,
Inſtituit caſtum quòd Deus ipſe torum.
Ipſe Deus vitæ conſortem primus Adamo
Et ſociam miro fœdere iunxit Heuam,
Atq; ait, Hanc forma & præſanté mente puellam,
Quam coràm ante oculos cernis, Adame, tuos,
Ipſe tuo ſumtam proprio de corpore finxi,
Vt referat pulcræ virginis ore decus,
Hæc tibi ſit vitæ comes adiutrixque laborum,
Et caſti æterno fœdere iuncta tori.
Hæc volo, te faciat numeroſa prole parentem,
Vt tibi ſit generis longa propago tui.
Sola tibi hæc ſocij præſtet noua gaudia lecti;
Hac ſocia vitæ tempora viue tuæ.
Ergo, tori quoniam, nullo mediante, ſupremus
Inſtituit leges caſtáque pacta Deus,
Quis tandem meritos thalamo non reddat honores,
Quis caſti ſpernat fœdera ſancta tori?
Adde, quòd humanæ eſt inter genera omnia vitæ,
Immenſa inſtituit quæ bonitate Deus,
Non aliud toto genus vllum antiquius orbe,
Legitimi quàm ſint vincula caſta tori.
Nam ſimulac cœlos & Solis amabile lumen,
Et reliqua, immenſus quæ tenet aſtra polus,
Aetheris ardentes tractus, liquidique meatus
Aeris, & terram, voluolúmque mare,

Et

Et quæcunq; capit ſpacioſi hæc machina mundi,
Ex nihilo mira fecerat arte Deus;
Proxima dehinc hominem, diuinæ mentis imago
In quo luceret, condere cura fuit.
Ergo capit glebam, campo quæ fortè iacebat,
Huícq; hominis formam mandat habere Deus,
Atque ſua vitam de mente inſpirat Adamo,
Et lucis radios inſerit ipſe ſuæ,
Ac ſimul hunc Dominum ſtatuens terræq; maríſq;,
Inſeruire homini cuncta creata iubet.
Aſt homini poſtquàm vidit minùs vtile ſoli
Eſſe Deus, ſociam iungere conſtituit.
Solus enim vaſto ſi permanſiſſet in orbe,
Et vitæ ſocia ſi caruiſſet Adam,
Ritè Deum celebrans Eccleſia nulla fuiſſet.
Aſt hanc ſumma Deo condere cura fuit.
Ergo viri lento deuinxit membra ſopore,
Inque noua paullùm ſtertere iuſſit humo,
Déque viri coſtam latere, hic dum ſtertit, ademtam
In nitidæ mutat virginis ora Deus.
Nec mora, formatam ſocio commendat Adamo,
Et caſti inſtituit dulcia pacta tori.
Eſſet & vt ſocij maior reuerentia lecti,
Coniugibus leges has Deus ipſe tulit:
Quiſq; ſuam, iubeo, matrémq; patrémq; relinquat,
Coniugis & ſolo nôrit amore frui.
Fœdere perpetuo mas ſint & fœmina iuncti,
Bináque legitimus corpora iungat amor.

Ergo hæc ſola tuus ſit amor, ſit, Adame, voluptas,
Et tuus hic ſit amor ſolus Adamus, Heua.
Hinc igitur, prima quòd ſint ab origine mundi
Dulcia coniugij condita iura, liquet.
Nec minùs hæc caſtum commendat gloria lectum,
Quam poteram primo commemorare loco,
Nempe, quòd eſt illo ſancitus tempore, virtus
Quando hominis nondum debilitata fuit,
Quando illuſtris adhuc lux mente refulſit Adami,
Quæ potuit verbo credere firma Dei,
Ardentíque Dei flagrauit amore voluntas,
Et fuit imperium læta ſecuta Dei,
Congrua diuinæ cùm legi corda fuêre,
Omnibus ínque hominis viribus ordo decens,
Error in humana nullus cùm mente, nec vllo
Obſcurata modo lux rationis erat;
A Domino nondum cùm prauè auerſa voluntas,
Sponte éque iudicio congrua mentis erat,
Nec vaga cor ſenſit flammarum incendia, nuſquam
Turpis amor, nuſquam liuor & ira fuit,
Conſenſêre inter ſe cùm Cor, Membra, Voluntas,
Iudicium mentis, iudiciúmque Dei.
Competit hæc ſoli thalamo laus tanta iugali.
Eſt igitur ſummo dignus honore coli.
Ornat & hic caſti multùm pia gaudia lecti,
Et meritò reliquis annumeratur honos,
Scilicet, haud tantùm liciti quòd fœdus amoris
Sanxerit, & thalami mutua pacta Deus,

Sed

Sed tulerit leges etiam mandatáque cunctis,
Quæ iubet à nobis inuiolata coli;
Quíſque tori certo ſociam ſibi iungat amore,
Vnica ſítque vni fœmina iuncta viro.
Vnius oblectet ſe ſponſus amore puellæ,
Quam ſemel è multis legerit ipſe ſibi.
Vnius oblectet ſe ſponſa ardore mariti,
Quem ſemel è multis legerit ipſa ſibi.
Nec vaga conturbent alieni incendia lecti,
Debita legitimo iura fidémque toro,
Non velit alterius ſponſus ſponſæ eſſe maritus,
Alterius coniunx ſponſa nec eſſe viri.
Et procul vt vetiti flammæ caueantur amoris,
Fœdera legitimi ſunt ineunda tori.
Nunc etenim, poſtquàm miſerè corrupta vagantur,
Imperio nec ſunt ſubdita corda Dei,
Sed rapidis variè flammis agitantur amorum,
Et mentis ſpernunt iudiciúmque Dei,
Haud ſecùs, excuſſo quàm ſi rectore feroces
Per loca præcipites prona ferantur equi;
Vult Deus, vt flammas fœdæque libidinis æſtus
Legitimi frenent vincula blanda tori,
Et certis rapidum metis incluſit amorem,
Quas nulli tutò tranſiliјſſe licet.
Nam velut illicitos verè Deus odit amores,
Sic licito cunctis mandat amore frui.
At teſtantur idem diuini oracula verbi,
Plurima quæ varijs ſunt repetita locis.

Tradit idem toties Diui ſacra pagina Paulli,
Commendans caſti fœdera coniugij;
Quiſque ſibi caſti ſociam coniungat amoris,
Vt vitare procul turpia ſcorta queat.
Ergo Deus caſtum toties cùm mandet amorem,
Ritéque iungantur fœmina vírque, velit,
Nulla trahat nobis dubiam ſententia mentem,
Coniugij quin ſint fœdera grata Deo.
Ipſe etenim prima quæcunq; ab origine mundi
Condidit immenſa pro bonitate Deus,
Atque in natura certos ſanciuit ad vſus,
Legéque ſeruari præcipit ipſe ſua,
Non dubium, quin ſint bona, ſancta, Deóq; probata,
Atque hominum vitæ commoda multa ferant.
Impia quapropter monachorum dogmata quiſq;
Vitanda, vt peſtem, nouerit eſſe ſibi.
Vt varios etenim ſemper ſparſere furores,
Fucati titulo qui pietatis erant;
Sic quoq; ſunt auſi thalamum damnare iugalem,
Ignauæ monachi dedita turba gulæ,
Atque ideò certi fugerunt fœdus amoris,
Amplexu vt poſſent liberiore frui.
Nos igitur, quorum melior ſententia menti,
Qui veri ſequimur dogmata ſacra Dei,
Coniugij merito leges veneremur honore,
Nec tantum ſtulti deſpiciamus opus.
At licet hæc caſti longè laus maxima lecti eſt,
Quòd Deus hunc ſanctè præcipit ipſe coli;

Si

Si tamen ad reliquas fiat collatio laudes,
Quæ ſequitur, non eſt eſſe putanda minor.
Nam non vlla magis poſſunt præconia caſtum
Legitimi fœdus condecorare tori,
Quàm genus humanum cœli terræque creator
Creſcere non alia quòd ratione velit,
Quàm per coniugÿ leges & amabile fœdus,
Ordine quod miro ſanciÿt ipſe Deus.
Nec verò hac tantùm generis nunc creſcere iuſſit
Humani numerum conditione Deus,
In damna & triſtes poſtquàm natura dolores
Dæmonis humana eſt præcipitata dolis,
Verùm etiam tunc, cùm vitÿs obnoxia nullis,
Et nondum imperio ſubdita mortis erat;
In natura hominis, qualem Deus ipſe creârat,
Quando illuſtris adhuc fulſit imago Dei.
Ac genere humano certis ita legibus aucto,
Vt nempe vnius ſponſa ſit vna viri,
Ipſe ſibi cœtum, noſtri commotus amore,
Voce Euangelÿ colligit inde Deus,
Ritè Deum diſcat qui noſcere, dogmata iuxta,
Quæ λόγος æterni tradidit ipſe patris,
Quíque Deum caſtis precibus veneretur, ab ipſo
Et ſciat in dubÿs poſcere rebus opem,
Atque Deo grata referat præconia voce
Et mente, immenſa pro bonitate ſua,
Cuíque Deus tribuat ventura tempore vitæ,
Conſpectúque frui colloquiísque ſuis.

Ergo tori quoniam creſcit per fœdera cœtus,
Qui vera celebrat relligione Deum,
Quiſque Dei iniunctum iuſſu ſibi nouerit, huius
Vt numerum cœtus amplificare velit,
Et ſibi legitimo ſponſam coniungat amore,
Participem vitæ, participémque tori,
Efficiat grata ſponſum quæ prole parentem,
Et pariat ſocij pignora multa tori,
Sedulus à primis quæ ſic pater educet annis,
Vt vero diſcant corde timere Deum,
Ingenuáſque bonis doceat cum moribus artes,
Publica res per quas creſcit honóſque Dei,
Hac vt quiſque alios poſt ſe ratione relinquat,
Qui vero celebrent nomen honore Dei.
Ergo tori caſtum cuncti veneremur amorem.
Nam thalami caſto gaudet amore Deus.
Pingitur & thalami pulcra ſub imagine fœdus,
Quod tibi cum cœtu eſt, Chriſte benigne, tuo.
Sponſa velut ſacram ſponſo mandatur ad aram,
Inque fidem ſponſi traditur illa ſui,
Scilicet vt, tanquam ſupplex, ſit tuta mariti
Auxilio, contra vímque dolúmque, ſui:
Sic etiam ad ſponſum ſupplex eccleſia Chriſtum
Ducitur, & Chriſti ſolius orat opem.
Ille ſuis ſponſam venientem ſuſcipit vlnis,
Atque lubens ſponſæ, quam petit, addit opem,
Et varios contrà ſcelerati dæmonis aſtus
Ac rabiem, ſponſam protegit ipſe ſuam.

Vtque.

Vtque acreis ſponſi flammas cor ſentit amoris,
Pectore qui ſponſam non ſimulante cupit,
Nec varios dubitat caſus &, mille pericla
Sponſus pro ſponſæ ferre ſalute ſua,
Ipſam etiam multo fundit cum ſanguine vitam,
Vtile ſi ſponſæ cernat id eſſe ſuæ;
Addit dona etiam, &, vitæ quas poſtulat vſus,
Pro cara quærit coniuge ſponſus opes:
Sic etiam verè cordi eſt eccleſia Chriſto,
Et vero ſponſam diligit igne ſuam.
Nam ſimul humanum Stygij genus arte draconis,
Mortis erat, diri ſuppliciique reum,
Protinus vt tantis hominum ſuccurrere damnis,
Et gratam miſeris reddere poſſet opem,
Filius æterni præluſtris imago parentis,
Déque Deo Deus ante omnia ſecla λόγος,
Qui cum patre, ſacro & flatu, terraque políque
Mirando hoc ingens ordine ſtruxit opus,
Spontè ſuum factus ſupplex eſt ante parentem,
Humani generis triſtia damna dolens,
Et bonus ardenti hunc flectit prece, funditus omne
Ne ſinat humanum diſperijſſe genus,
Quáſque, ait, admiſſo meriti pro crimine pœnas
Sunt homines, cupio morte piare mea.
Ergo Dei tandem certo pòſt tempore gnatus
Induit humanæ debile carnis opus,
Et vero noſtros miſeratus corde labores
Amiſſæ voluit ferre ſalutis opem.

Non igitur varios renuit tolerarę dolores,
Et,quibus eſt hominum vita referta,mala,
Ac iacuit ſacram ſupplex proſtratus ad aram,
Illa ſed æternus conditor ara fuit,
Et tulit immeritam mundi pro crimine mortem
In cruce pro nobis victima ſacra patri,
Lethaléſque ſuæ maculas & vulnera ſponſæ
Abluit innocuo ſanguine cuncta ſuo,
Aeterníque patris iuſtam ſic leniјt iram,
Illa ſit vt ſponſæ non metuenda ſuæ,
Rupit & æternæ triſtiſſima vincula mortis,
Vincta quibus diro à dæmone ſponſa fuit,
Peccatum domuit,iuſtæque tonitrua legis,
Fulminibus ſponſam ne premat illa ſuis,
Ad ſummam,cunctos Chriſtus ſic reppulit hoſtes,
Inſidias ſponſæ qui poſuêre ſuæ,
Omnibus vt cupiant etiamſi hanc perdere ſponſam,
Viribus,haud vlla perdere parte queant.
Permanet hæc contra truculentos ſponſa tyrannos,
Auxilio ſponſi nixa fidéque ſui.
Nec varijs tantùm ſponſam eripuiſſe periclis
Verumetiam æternis vult decorare bonis.
Ipſe ſuæ lapſus ſponſæ & peccata remittit,
Et ſacro ſponſam pneumate ſanctificat.
Tradidit & ſacri ſponſæ myſteria verbi,
Ex patris arcano quæ tulit ipſe ſinu,
Diſcat vt æternum hinc agnoſcere ritè parentem,
Qui nutu fecit cuncta fouétque ſuo,

Et nôrit, quònam ſponſus lætetur honore,
Ac quali cupiat relligione coli.
Ipſe ſuæ tribuit cœleſtia gaudia ſponſæ,
Gaudia quæ nullo ſunt abolenda die;
Perpetuæ ſociam vitæ, veræque ſalutis
Participem ſponſam iuſtitíaque facit;
Donec & in terris Chriſti dilecta vagatur
Sponſa, ac in toto vix habet orbe locum,
Ipſe ſuis ſponſam clementer protegit vlnis,
Et velut in gremio claudit alítque ſuo.
Præbet opes etiam, vitæ quibus indiget vſus,
Suppeditans larga commoda multa manu,
Sæuáque dum miſcent inter ſe prælia reges,
Et ſatagunt ſponſam perdere, Chriſte, tuam,
Procures aliquam ſponſæ, pie Chriſte, Sareptam,
In qua præſidio tuta ſit vſque tuo,
Ac licet à ſæuis laceretur ſæpè tyrannis,
Non tamen illius non potes eſſe memor.
Vota tuæ nunquam ſinis vt ſint irrita ſponſæ,
Atque hoſtes valida reprimis ipſe manu,
Et tribuis lætæ tandem grata ocia pacis,
Ac ſponſæ hoſpitium proſpicis ipſe tuæ.
Durat in æternum tua ſic eccleſia, Chriſte,
Præſidio tantùm numinis vſa tui.
Tantus amor noſtrî; ſic nos tu Chriſte tueris,
Sic noſtræ curam, Chriſte, ſalutis agis.
O vtinam tantum grati celebremus amorem,
Quòd nos, vt ſponſam diligis vſque tuam.

At tu gnate Dei noſtras accendito mentes,
Noſtra ſit vt meriti mens memor vſque tui.
Ac velut ardenti ſponſum amplexatur amore,
Quæ vero ſponſum pectore ſponſa colit;
Pectore ſic etiam ſincero eccleſia Chriſtum
Diligit. huius enim ſanguine parta ſalus.
Sponſa ſui didicit iuſſis parêre mariti,
Quod iubet is. promto pectore ſponſa facit.
Subdita ſic ſponſo ſponſa eſt Eccleſia Chriſto,
Et ſponſi exſequitur ſedula iuſſa ſui.
Sponſa ſui neſcit niſi iuſſa capeſſere ſponſi,
Pro libito alterius nil facit illa viri;
Non niſi ſic paret iuſſis eccleſia Chriſti,
Et tantùm illius dogmata ſacra colit.
Sponſa cauet ſponſi thalamum temerare iugalem,
Conſeruátque ſemel quam dedit ipſa, fidem:
Sic amat & ſponſum conſtans eccleſia Chriſtum,
Et timet excuſſi fœderis eſſe rea.
Vnicus eſt ſponſæ, curæ ſuper omnia ſponſus,
Sponſa nec alterius gaudet amore viri:
Sic eſt cura ſuæ Chriſtus quoque maxima ſponſæ,
Et tantùm Chriſti gaudet amore frui.
Haud alium vetito ſponſum ſibi iungit amore,
Nec quærit varios numina vana Deos,
Sed ſolum caſto Chriſtum veneratur amore,
Et gratam ſponſo ſe ſtudet eſſe ſuo,
Aſſiduéque ſuum celebrat, ſponsúmque precatur,
Vt gratam dubio tempore præſtet opem.

Sponſa

Sponſa facit ſponſum iucunda prole parentem,
Ne queat hunc ſocij pœnituiſſe tori:
Sic etiam Chriſto numeroſam eccleſia prolem
Progignit verbo viuificante Dei.
Dulcius hac dici thalami quid imagine caſti,
Quídue poteſt menti gratius eſſe piæ?
Nos docet hac etenim, quanto teneatur amore
Humani generis filius ipſe Dei.
Tanti igitur flammas vt deguſtemus amoris,
Quo cœtum Chriſtus diligit vſq; ſuum,
Legitimi ſociam non auerſemur amoris,
Et lubeat caſti fœdus inire tori,
Scilicet exemplo vt noſtri diſcamus amoris,
Quàm flagret ſponſæ Chriſtus amore ſuæ.
Quid memorem caſti dulciſſima gaudia pacti,
Gaudia terrenis anteferenda bonis?
Tàm pia, tàm caſto grata eſt in amore voluptas,
Vt vix hac quidquam dulcius eſſe queat.
Sponſa ſuum merito veneratur honore maritum,
Et quacunque poteſt parte iuuare, iuuat.
Et pius officium ſponſæ non denegat vllum
Sponſus, & eſt caſto par in amore fides.
Sic ſincerus amor, ſic blanda vtrinque voluptas
Creſcit, & officio fungitur vſque ſuo.
Sponſa ſuo gignit cariſſima pignora ſponſo,
Et generis ſponſum poſteritate beat.
Ipſa ſuos teneris genitrix educit ab annis,
Et mira infantes ſedulitate fouet,

Milléque defendit contra diſcrimina vitæ,
Inque ſinu lætos efficit eſſe ſuo,
Grataque de proprio genitrix alimenta miniſtrat
Corpore, materno pignora lacte fouens,
Et teneri fragiles ne lædat corporis artus,
Præmanſum proprio porrigit ore cibum.
Tantus amor ſobolis, tanta eſt reuerentia ſponſi,
Cuius ab amplexu pignora cara tulit.
Sedulus intereà ſponſæ commotus amore,
Eſt memor officij ſponſus & ipſe ſui,
Próque ſuis quærit natis & coniuge victum,
Quásque alias hominum poſtulat vſus opes,
Atque ſuos æſtum contra defendit & imbreis,
Et ſtudet ex omni parte beare ſuos.
Dúmque obit impoſita ſponſus ſibi munera partis,
Et domui victum quærit opémque ſuæ,
Sponſa domi ſobolem & commiſſa negotia tractat
Sedula, nec partes negligit ipſa ſuas,
Et varijs ſponſum curis multóque labore
Defeſſum, blandis recreat illa iocis,
Et cupidis peregrè venientem amplectitur vlnis,
Milléque dat roſeis oſcula blanda labris,
Appónítque cibos, præſens quos hora miniſtrat,
Quóſque priùs grata condijt ipſa manu,
Iungit ſe ſociam ſponſo, blandóque ſuaues
Aſpectu poſitas efficit eſſe dapes.
Ac veluti grauidis vites onerantur ab vuis,
Autumni ſimulac diuitis hora redit:

Sic

Sic nati propriam circumſtant ordine menſam,
Et carpunt poſitos ore decente cibos.
Hos genitor, poſtquàm matura adoleuerit ætas,
Qui deceant, mores, litterulásque docet,
Et monet, vt iuſto venerentur honore parentes,
Vt læti viuant incolumésque diu.
Ac ſi fortè premant morbi triſtísue ſenectus,
Si ſubeant curæ, ſollicitúsque dolor,
Si fallax cœptos linquat fortuna labores,
Et fragilem quaſſet ſæua procella ratem,
Dulcis adeſt coniunx, blando ſolatia vultu
Præſtans, & grata mitigat arte malum,
Fértque vnà, quidquid cogit ſors aſpera ferre,
Et monet in ſolum ſpem poſuiſſe Deum,
Conatur verbis & re minuiſſe labores,
Quáque poteſt luctum parte leuare, leuat.
Quem nihil iſta mouent genialis fœdera lecti,
Dura magis quauis pectora cote gerit.
Dulcia ſint igitur vitæ quàm pacta maritæ,
Exemplo malit diſcere quiſque ſuo.
Bella iuuent, validum quibus eſt in corpore robur,
Duráque in aduerſa vulnera fronte gerant;
Corradant alij miſerè quos vexat habendi
Dira fames, tellus & mare quidquid habent,
Solis & ardentes æſtus patiantur & imbreis;
Qui ſapit, is caſto malit amore frui.
Iámq; iubet cœpti me carminis ordo, referre,
Proueniant caſto commoda quanta toro.

Quæ ſi cuncta breui coner comprendere verſu,
Digna mei riſu dona laboris erunt.
Nam ſocij fructus tot ſunt & præmia lecti,
Verſibus vt nequeam cuncta referre meis.
Ipſe Deus thalamum tanto cumulauit honore,
Vt velit hac hominum creſcere lege genus.
Et ſic perpetuum victura Eccleſia Christo
Colligitur, grato quæ canat ore Deum.
Ac mens ipſe Deus cùm ſit caſtiſsima, caſtas
Attenta ſemper percipit aure preces.
Adde, quòd ad magnos perſæpè vehantur honores,
Qui laudem caſti cúnque pudoris amant.
Illecebras Dominæ caſtus vitauit Ioſeph;
Huic Deus Aegypti ſceptra tenenda dedit.
Dat Deus & caſtis ſobolem, quæ ſedula patris
Virtutes ſtudeat rectáque facta ſequi.
Abramus Saram caſto ſibi iunxit amore,
Quem genuit natum, caſtus & ipſe fuit.
Nec minùs Iſacides patris eſt exempla ſecutus,
Nec patre, nec Ioſeph degenerauit auo.
Quiſquis & illicitos cautè vitabit amores,
Et ſubiet ſocij vincula caſta tori,
Huic Deus humanæ tribuet bona plurima vitæ,
Huic animus ſano corpore ſanus erit.
Aſpera non metuet truculenti prælia Martis,
Dulcia ſed læta tempora pacis aget.
Nec deerunt, longo numeret quos ordine natos,
Durabítque ſuæ poſteritatis honos.

Non

Non erit huic triſtis, ſed erit iucunda ſenectus,
Et placidus vitæ terminus huius erit.
At quotquot vetitos Veneris ſectantur amores,
Præmia pro tali crimine digna ferent.
Ad Dominum querula clamabunt voce, ſed ille
Ferre ſinet rapidos irrita vota Notos;
Quóſque ferent ſocia natos de coniuge, patrem
Hi vitæ perdent improbitate ſuæ,
Sedibus & ſolio miſerè pellentur auito,
Et partas alius dilapidabit opes;
Impia committent inter ſe prælia nati,
Sicque ſuum cernent interijſſe genus,
Bella, famem, exſulium, morbos, triſtémq; ſenectam,
Multáque cum turpi morte pericla ferent.
Vſque adeò vetitos Deus auerſatur amores,
Triſtibus hos ſemper punijt ille modis.
Teſtis erit rapidis totus ſubmerſus in vndis
Orbis, & in cineres verſa Gomorrha leues.
Teſtis Beniamin, teſtis Ieſſeia proles,
Teſtis erunt Thebæ, Troiáque teſtis erit.
Nec verò longè pœnarum exempla petantur;
Adſpiciat vitæ quiſque pericla ſuæ.
Quiſquis es ergo, vagi flammas fuge cautus amoris,
Diſcéque legitimi fœdus amare tori.
Aſt ò ſumme Deus, caſti fundator amoris,
Numine ſint thalami fœdera tuta tuo.
Reprime multiplices impuri dæmonis aſtus,
Quîs ſocij ſatagit rumpere pacta tori.

Ac velut auxilio coniunx eſt tuta mariti,
Sic etiam ſponſam protege Chriſte tuam.

Vvittembergæ, menſe Octobri, anno 1558.

Eruditione & virtute præſtanti, M. Iohanni Poſſelio Parchemenſi,

Νεογάμῳ.

Gloria Pieridum non infima, Sponſe, ſororum,
Inclyta Pegaſei fama decúsque chori,
Quem genuit geminis vrbs olim exſtructa ſub vrſis,
Clara Megalburgo & Parchema grata Duci,
Allatam inſpiciens chartam, mirabere forſan,
Eſſe tibi ignota hæc carmina ſcripta manu,
Cur, tibi amicitiæ qui nullo eſt fœdere iunctus,
Qui nullum officium præſtitit antè tibi,
Ille animum cupiat nunc declarare fauentem,
Et ſtudium ſponſo ſpontè probare ſuum,
Coniugiúmque tuum tentet celebrare, piúmque
Propoſitum voto condecorare pio,
Et ſtudeat caſto conſcribere carmina lecto,
Quæ tibi cum ſponſa, ſponſe, placere queant.
Talia fortaßis dubio ſub pectore verſas,
Cur tibi vix notus carmina ſcribat homo.
Si tua non aliæ turbant præcordia curæ,
Nec dubiam mentem res facit vlla tuam,
Deſine mirari; dubio hoc tua pectora ſoluam,
Propoſiti vt ratio ſit tibi nota mei.

Si

Si dignâre tuæ me conſuetudinis vſu,
Et ſinis officijs colloquiíſque frui,
Atq; in amicorum numerum ſi ſponſe tuorum
Diſcipulum admittis conſociáſque tuum,
Si placet officium ſincero corde profectum,
Diſcipulíque aliquid vota valere ſinis,
Nec velut indignum me dedignaris amicis
In reliquis etiam connumerare tuis;
Dulcis amicitiæ cupio tibi fœdere iungi,
Et ſtudium promta mente probare meum.
Qui nulla antè fui tibi conſuetudine iunctus
Iam cupio verſu notior eſſe meo.
Eſt igitur quidquid neglectum hucuſque, ſtudebo,
Vt penſare noua ſedulitate queam.
Quòd non antè mea hæc fuerit tibi nota voluntas,
Nulla in eo culpa eſt attribuenda mihi.
Opportuna mihi eſt oblata occaſio nunquam,
Qua ſtudium poſſem ſignificare meum.
Conueniens habui nunquam tempúſue locúmue,
Quæ præbent rebus commoda magna nouis.
Nunc cùm coniugij ſacro ſis auctus honore,
Téque nouum ſponſum quilibet eſſe ſciat,
Et volitet totam prænuntia fama per vrbem,
Quòd venit in thalamum virgo decora tuum,
Non equidē mihi cunctandum ampliùs eſſe putaui;
Eſt animum tempus tandem aperire meum,
Officiíque mei partes iam poſcere ſenſi,
Vt thalamo ſcribam carmina pauca tuo.

Nam decet ingenuum iuuenem ſua facta probari,
Et præceptori velle placere ſuo;
Colloquióque eius ſemper gaudebit, honeſtis
Quicunque ex ſtudijs nobilis eſſe cupit.
Præceptoris amicitiam puer expetet ille,
Qui cupit ad patrios doctior ire focos,
Illius & ſemper claros augebit honores,
Gratáque doctori dicet agétque ſuo,
Illius vt non ſit nomen mortale cauebit,
Illius vt maneat fama perennis, aget.
Illius à denſa defendet nomina nocte,
Non ſinet illius nomina clara mori.
Digna referre poteſt doctori præmia nemo,
Et præceptorem ſat celebrare ſuum.
Ac non antè tibi notus quòd carmina mittit,
Te quibus & ſponſam vult decorare tuam,
Propterea id multò tibi gratius eſſe futurum
Sperat, & officium poſſe placere ſuum.
Iámq; oſtenſa mihi ſatis, optime ſponſe, videtur
Incepti ratio carminis vna mei,
Et tibi cur verſus Pithopœus ſcripſerit iſtos,
Te ſatis ex vna parte tenere puto.
Nunc igitur reſtat dicenda mihi altera cauſſa,
Hæc mea cur mittat carmina Muſa tibi.
Hæc quæ ſponſe tibi me ſcribere cauſſa coegit,
Dicere me breuiter ſi cupis, iſta fuit.
Turba nouenarum, doctiſsime ſponſe, ſororum,
Mnemoſynes, ſummi & dia propago Iouis,

Quæ

Quæ colit vmbriferos & celſo vertice montes,
Quæ propè fontanas vſque moratur aquas,
Et quæ lauriferum ſacrúmq; Helicona frequentat,
Ardua Parnaßi quæ iuga montis amat,
Quæ vitreo gaudet montani flumine fontis,
Quem ferus eduxit Bellerophontis equus,
Quam propè Caſtalium iuuat indulgere choreis,
Et placidum blanda voce ſonare melos,
Muſæ inquam, diuûm ac hominũ ſincera voluptas,
Muſæ doctorum gaudia vera virûm,
Muſæ, hominum triſtes quæ pellunt pectore curas,
Et pauido reddunt libera corda metu,
Muſæ, quæ ſacros gaudent iuuiſſe poetas,
Vt facili ſcribant carmina docta manu,
Nec Muſæ tantùm, ſed & his comitatus Apollo,
Doctus inauratam ſollicitare lyram,
Fulgentem geſtans pharetram, celerésq; ſagittas,
Cuius non vitiat fœda ſenecta genas,
Quem ſibi præcipuum numen fecêre poetæ,
Vnde etiam vatum dicitur eſſe pater,
Hæc nunc, docte tibi me mittere carmina ſponſe,
Et ſua iuſſerunt vota referre tibi,
Queîs tibi fœcundum lætúmq; precantur amorem,
Coniugióque optant proſpera cuncta tuo.
Hos ideò voluere tibi me ſcribere verſus,
Atque animum ſponſo ſignificare ſuum,
Ingenuas quòd me doceas non ſegniter artes,
Quæ mentem poßint erudijſſe meam,

Et mihi Smyrnæi declares carmina vatis,
Carmina, quæ nullo ſunt moritura die.
Atq; hæc melliflua canerent dum carmina voce,
Conſtiti, & attenta ſingula mente noto,
Muſarúmque, homini quantùm meminiſſe dabatur,
Sermones, animo, ſponſe, recondo meo.
Pòſt vbi iuſsiſſent & Muſæ & pulcer Apollo,
Hæc tibi me & ſponſæ carmina ferre tuæ,
Extemplò eſſe putans non iuſſa capeſſere diuûm,
Grande nefas, miſi hæc carmina ſponſe tibi.
Quæ quia Muſarum monitu ſum ſcribere iuſſus,
Spero tibi & ſponſæ grata futura tuæ.
Ergo tibi tandem notum ſatis arbitror eſſe,
Quid velit ignota charta notata manu.
Deſinis at nondum mirari, & forſitan iſta
Vexat adhuc animum ſollicitudo tuum,
Quòd tibi Pegaſidum iuſſu hæc me mittere dicam,
Et, quo ſint acta hæc tempore, ſcire cupis.
Hunc igitur poſcis ſi me tibi ſoluere nodum,
Eque tuo tacitum tollere corde metum,
Aures ſponſe mihi paullùm præbere benignas,
Et legere hæc placida carmina mente velis.

Epita-

Epithalamium in nuptias Doctiſſimi viri, M. Iohannis Poſſelij Parchemenſis, Profeſſoris Academiæ Roſtochianæ, & modeſtiſſimæ virginis Annæ, filiæ integerrimi viri, Henrici Oldenburgij, ciuis Roſtochiani.

Liquerat auricomus ſanctæ Sol virginis aſtrum,
Iuſtáque Phœbeos Libra vehebat equos,
Et iam Sol medio clarus fulgebat Olympo,
Heſperias paullò pòſt ſubiturus aquas,
Mollibus orbatos cùm luſtro floribus agros,
Formoſam æſtatem prӕteriјſſe dolens,
Hîc vbi Varnouius lentis prolabitur vndis,
Et Laciburgiacæ prӕterit arua ſcholæ.
Dum vagor & ſolus gelidis in collibus erro,
Peligni relegens nobile vatis opus,
Quod celebrat varias heroo carmine formas,
Mille canens hominum corpora verſa modis,
Ecce Heliconiadas ducens (mirabile viſu)
Aſtitit ante oculos pulcer Apollo meos,
Nec mora, victrici redimitus tempora lauro,
Hos, benè ſi memini, protulit ore ſonos.

APOLLO.

Hæc eſt illa dies niueo ſignanda lapillo,
Et meritò faſtis annumeranda ſacris,

Qua datur in thalamum docto noua ſponſa marito,
Qua duo perpetuus pectora iungit amor.
Ergo agite Aoniæ dulcis mea cura ſorores
Cantemus ſponſo carmina grata nouo.
Iam ſatis in triſti tandem luxiſtis amictu,
Nec ratio tanti parua doloris erat.
Terribilis tractant reges horrentia Martis
Prælia, nec vobis vllus habetur honos.
Quid iuuat infauſtas ſemper iactare querelas,
Et roſeas lacrymis commaculare genas?
Eſte procul luctus, procul hinc diſcedite curæ,
Nil præſens præter gaudia tempus amat.
Funeribus dolor & lacrymæ ſunt triſtibus aptæ,
Dulcia nil præter gaudia poſcit Hymen.
Se crucient alij curis, & flebile cantent;
Carmina vos iſto læta ſonate die.
Feſta decent pullæ nunquam genialia veſtes.
Non hoc lugubris veſtis habenda die.
Sumite, depoſito triſti velamine, veſtes,
Sithoniam poſſint quæ ſuperare niuem.
Mollia frondenti circumdate tempora lauro,
Ambroſias ornent aurea fila comas.
Lætitiam vultu, verbis, geſtúque referte,
Nil niſi lætitiam poſtulat iſta dies.
Lucida frons, oculi molles, humeríq; nitentes,
Marmorei digiti, lacteolíque pedes,
Membráque lætitiam teſtentur ſingula veram.
Impediat nullus gaudia veſtra dolor.

Inter-

Intermixta roſis quem lilia cana colorem
Efficiunt,veſtris luceat ille genis.
Mellea commaculet non pallor liuidus ora;
Purpureus pingat blanda labella rubor.
Vnanimi lætas effundite pectore voces,
Atque hilares triſtem pellite corde metum.
Iam valeat rigidi grauitas auſtera Catonis,
Et placeant riſus blandiloquíque ioci.
Iungite iam palmas,dulces agitate choreas,
Plectra ego dulciſona clara mouebo lyræ.
Poſſelio alternis iam dicite carmina ſponſo,
Poſſelius veſtro eſt dignus ab ore cani.
Túque ò Calliope ſacris adamata poetis
Incipe.ſuccedet cætera turba tibi.

CALLIOPE.

Ardua Parnaſſi frondosáque iugera montis,
Gorgoneíque iuuat linquere fontis aquas.
Nunc noſtros capiat riſus feſtiuáque dicta,
Clara Megalburgo ſubdita terra Duci.
Nunc hilari pariter carpamus gaudia mente,
Caſtalij quotquot fontis amamus aquas,
Non hoc vlla die niſi carmina læta canamus.
Sint procul à noſtro carmina mœſta choro.
Sponſa tibi æterno ſociatur amore Iohannes,
Coniugij conſors Anna futura tui.
O nimium felix,ò térque quatérque beata,
O nimium tali ſponſa beata viro.

Quis talem dignè ſponſum laudauerit? impar
Materia eſt, fateor, viribus iſta meis.
Non mihi ſi linguis centum ſint addita centum
Ora, queam tantum ſat celebrare virum.
A puero ingenuas didicit uon ſegniter artes,
Fluminàque Aonidum viſere cura fuit.
Ardua Parnaßi ſuperauit culmina montis,
Eque Meduſæo pocula fonte bibit.
Hinc veterum rectè nouit monumenta Sophorum,
Quos Latium antiquum & Græcia docta tulit,
Sanctorúmque tenet diuina volumina vatum,
Hiſtoriam notam totius orbis habet.
Tanta illius ineſt facundis gratia dictis,
Creditur in Pylio quanta fuiſſe ſene.
Aſtrorum curſus & pulcra mathemata callet,
Non ipſum Euclidis dogmata clara latent.
Abditáque Argolicæ nouit penetralia linguæ,
Explicat & doctè carmen Homere tuum.
Inſuper eſt titulum nactus nomḗnque Magiſtri,
Et tulit ex ſtudijs præmia digna ſuis.
Eſt Laciburgiaci concordi voce Senatus
(Eſt aliquid tantis poſſe placere viris)
Accitus, ſtudio vt doceat vigilante iuuentam,
Atq; ad Parnaßi culmina monſtret iter,
Et nunc Mæonij declarat carmina vatis,
Carmina, quæ poterit perdere nulla dies.
Quid mores memorē? eſt facilis, pius, atq; benignus,
Pectora ſunt ipſi candidiora niue.

Eſt

Eſt gratus ſocijs, eſt & iucundus amicis,
Eſt talis, quî cum viuere quiſque velit.
Tu magnas igitur grates dic Anna Tonanti,
Quòd tanti coniunx diceris eſſe viri,
Atque tuum colito ſincero pectore ſponſum,
Cúmque tuo felix coniuge viue diu.

CLIO.

Aſt formoſa quibus tollam te laudibus Anna,
Quæ veteri clarum nomen ab arce geris.
Felix ô nimium, cui talis ducitur vxor,
Cuius in amplexus tàm pia virgo venit.
Penelopen veluti laudat veneranda vetuſtas,
Sulpiciam vt celebrant tempora priſca ſuam,
Mirantúrque tuum Lucretia caſta pudorem,
Atque pudicitiam Porcia ſancta tuam:
Sic te Roſtochium celebrat pulcerrima virgo,
Lucidáque attollit nomen in aſtra tuum.
Nota tua eſt pietas, eſt nota modeſtia, notus
Omnibus eſt candor pectoris, Anna, tui.
Es grauis, es ſimplex, ſincera, humana, pudica;
Iurgia ſunt animo res inimica tuo.
Ipſis, Anna, tua eſt oratio congrua rebus,
Súntque tuis ſemper ſeria mixta iocis.
Dona tibi Fortuna dedit præſtantia. (virtus,
Quæ venit in pulcro corpore, grata venit).
Nam veluti varijs mens eſt virtutibus aucta,
Sic decorat corpus forma venuſta tuum.

Si Venus ipſa etiam tecum, me iudice, certet,
Me tibi concedet iudice victa Venus.
Vtque viros inter ſponſus ſupereminet omnes,
Sic es virginei gloria, ſponſa, chori.
Sponſe Deo grates toto dic pectore, ſponſa
Quòd talis thalamum ſit ſubitura tuum,
Ardentíque tuam complectere pectore ſponſam,
Cúmque tua ſponſa viue valéque diu.

THALIA.

Qui mare, qui terras, qui cœlum numine comples,
Quem Dominũ agnoſcunt cuncta creata ſuum,
Huc ades, atq; meis placidus, precor, annue votis,
Dáque meas aliquod pondus habere preces.
Poſſelij caſto deuinctum eſt pectus amore,
Et datur in thalamum pulcra puella ſuum.
Ergo iube, ſponſo, ſponſæque vt ſidere fauſto
Procedant caſti fœdera cœpta tori.
Viuito tranquillus cara cum coniuge, ſponſe,
Conturbent veſtrum iurgia nulla torum.
Sit procul à veſtro demens diſcordia lecto,
Coniugio non eſt vtilis illa nouo.
Exhilarent thalamum Pax & Concordia veſtrum,
Coniugio Pax eſt vtilis alma nouo.
Et dolor, & curæ, lacrymæ, triſtésque querelæ,
Et procul à veſtro ſint mala cuncta toro.
Vt tua ſponſe. precor, faciat te ſponſa parentem,
Cùm ſolitis actus menſibus annus erit.

Poſt etiam multa reddat te prole beatum,
Siſtat & ante oculos pignora cara tuos,
Pignora, quæ patrem ſtudeant audire monentem,
Nec ſpernant matris iuſſa verenda ſuæ.
Veſtráque crudeles non vexent corpora morbi,
Officium præſtent integra membra ſuum.
Abſit & à thalamo paupertas indiga veſtro,
Turpia quæ multos quærere lucra iubet.
Adſint diuitiæ, rerum quas poſtulat vſus.
Sic thalamus felix, ſat ſcio, veſter erit.
Quid multis? hilaris per multos ſuauiter annos,
Viuito cum ſponſo ſponſa pudica tuo.
Túque Sibyllinam viuas, precor, Anna, ſenectam;
Tu Pylij viuas ſecula, ſponſe, ducis.

EVTERPE.

Me vocat Euterpen hominum ſator atq; Deorum.
Mentem ergo oblectent gaudia vera meam.
Aeterno iſta duos lux fœdere iungit amantes,
Et nubit docto virgo modeſta viro,
Annáque Poſſelio datur Oldenburgia Iano,
Quo non maius habet Parchema terra decus.
Ergo læta nouo dicam noua carmina ſponſo,
Et thalamum votis condecorabo meis.
Alma Venus, rerum genitrix, dulcíſque voluptas
Coniugij, cuius numine cuncta vigent,
Te ſine legitimi nil proſunt fœdera lecti,
Et fruſtrà ſponſo traditur Anna ſuo.

Seu tua te vaſto Cyprus circumflua Ponto,
Seu nemus Idalium te Cytherea tenet, (*tas,*
Seu nūc fortè Gnydō, clarámue Amathunta frequē-
Siue Paphos tibi, ſeu celſa Cythera placet,
Siue tuum niueis Martem complecteris vlnis,
Inque tuo recubant horrida tela ſinu,
Linq; Gnydon, Cypriámq; Paphō, celsámq; Cytherā,
Paulliſper Martem linquito Diua tuum.
Huc ades, & præſens genialibus annue ſacris,
Auſpicijs felix ſit torus iſte tuis.
Tempora ferre moram poſſunt præſentia nullam.
Ergo ades in thalamos ô Cytherea nouos.
Non tua nequicquam coluerunt numina priſci,
Non temerè eſt ara victina caſa tuæ.
Nam tibi, ſi qua parens eſſet fœcundior, egit
Grates, & falſſa eſt munus id eſſe tuum.
At ſi imploraſſet ſterilis tua numina ſupplex,
Numinis auxilium ſenſit & illa tui.
Lætus hymen fruſtra caſtos coniungit amantes,
Fortunes ſocium ni Cytherea torum.
Poſſelius Cytherea ſuam fac diligat Annam,
Annáque Poſſelij flagret amore ſui.
Fac, noua percipiant tenebroſæ gaudia noctis,
Gratáque cum ſponſo prælia ſponſa gerat,

ERATO.

Quarta pruinoſi cùm lux Octobris habetur,
Frigoráque immitis ſæua minetur hyems,

Et

Et noua Poſſelij thalamum iam nupta ſubintret,
Bináque coniungat pectora dulcis hymen:
Carmina cantemus, cantemus carmina ſponſo,
Cantemus ſponſæ carmina grata nouæ.
Mollia nunc dulci modulemur carmina voce,
Carmina ſunt iſto læto canenda die.
Iſta iocos, riſúsque dies & gaudia poſcit.
Triſtia ſunt alio commemoranda die.
Huc ades ergo ſacris ſtudijs addicta iuuentus,
Quæ ſacra Pegaſei flumina fontis amas,
Huc ades, huc hilaris promtúsq; adcurre, frequentas
Qui Laciburgiacæ cúnque Lycea ſcholæ.
Adſitis iuuenes tædæ ſacróque iugali,
Quos ex Gorgoneo fonte bibiſſe iuuat.
Gaudete pariter, lætámque exporgite frontem;
Id Phœbus, mandat Pieridésq; nouem.
Non vos iam ſacris decet inuigilare Camænis,
Non iam doctorum voluere ſcripta virûm.
Nunc & Ariſtotelis docti monumenta quieſcant,
Et magnus claro cum Cicerone Plato,
Doctáque grandiſoni requieſcat Muſa Maronis,
Et taceat carmen Naſo poeta tuum,
Linquantúrque tui numeri laſciue Catulle,
Et quos præterea dicere longa mora eſt.
Hæc alio melius relegetis tempore ſcripta;
Non eſt hæc veſtris hora dicata libris.
Pectore lætitiam iuuenes ſimul edite toto,
Optate & ſponſo proſpera cœpta nouo.

Vos hoc feſta die læto date iubila plauſu,
Vos hunc præſentes condecorate torum.
Hæc etenim à vobis debetur gratia ſponſo,
Poſſelius veſtro eſt dignus honore coli.
Ardua monſtrat iter Parnaßi ad culmina, veſtros
Præceptis animos inſtruit ille rudes.
Sedulus ingenuas docet ille fideliter artes,
Et Latio & Graio reddere verba ſono.
Ergo ades huc lætis animis ſtudioſa iuuentus,
Et præceptori fauſta precare tuo,
Illius vt thalamum felix concordia ſeruet,
Vtque habeant nullum iurgia ſæua locum,
Coniugium vt ſponſi multa ſit prole beatum,
Conturbéntque nouum nulla pericla torum.

POLYHYMNIA.

Huc hymenæe hymen, hymen hymenæe venito,
Huc ades ò hymen, huc hymenæe veni,
Dexter ades ſponſo ſponſæque, hymenæe venito.
Hæc te ſacra vocant, huc hymenæe veni.
Hos propera ad thalamos hymen, hymenæe venito.
Huc adſis præſens, huc hymenæe veni.
Aligeri frater pueri huc hymenæe venito,
Huc Veneris proles, huc hymenæe veni.
Coniugij princeps hymen hymenæe venito.
Hæc eſt ſacra tibi lux, hymenæe veni.
Hæc ne ſperne ſacra, huc hymen hymenæe venito.
Has decora tædas, huc hymenæe veni.

Fron-

Frondibus euinctus, ſacer ô hymenæe venito,
Tempora maternis, huc hymenæe veni.
Hac tibi læta dies vacat, huc hymenæe venito,
Myrto cincte comas huc hymenæe veni.
Sacra coruſcantes, hymen hymenæe venito,
Vibret dextra faces, huc hymenæe veni.
Dulce melos referens hymen hymenæe venito,
Carmina blanda canens huc hymenæe veni,
Feſtáque declares, hymen hymenæe venito,
Hæc tibi quòd placeant, huc hymenæe veni.
Huc ades, & ſolita, huc hymen hymenæe venito,
Gaudia conficiens, huc hymenæe veni.
Coniugij haud vnquam fore vincula firma putētur,
Atque parum felix creditur eſſe torus,
Cæpta tuo ſi ſit ſine numine tæda iugalis,
Síque tua ô hymen deſtituatur ope.
Te primum perhibent ſponſam iunxiſſe marito,
Et thalami leges inſtituiſſe nouas.
Tu ſacer ô hymenæe duos coniungis amantes,
Inque vno ſocias corpora bina toro.
Tu iuuenum inſanos hymen depellis amores,
Complexúque iubes abſtinuiſſe vago.
Tu facis, vt gratus ſit ſponſæ hymenæe maritus,
Et placeat ſponſo ſponſa pudica ſuo.
Ergo ades ô hymenæe, hymen ades ô hymenæe,
Poſſelióque Annam iunge hymenæe ſuam.

Iam iucunda decet nos carpere gaudia,quotquot
Caſtalij dulces fontis amamus aquas.
O quàm grata polo fulges Tithonia coniunx,
Quæ talem roſeo prouehis axe diem.
Nos hilares fauſtum hac hymenæum luce canamus.
Conueniunt iſti iubila læta ſacro.
Anna ſubit thalamum docti Oldenburgia ſponſi,
Poſſelij atque Annæ pectora iungit amor.
Nunc igitur Charites ſoboles generoſa Tonantis,
Adſitis faciles ad pia feſta Deæ.
Non ſine ſuccedunt veſtro connubia ductu;
Expoſcit veſtram tæda iugalis opem.
Ergo Poſſelij veſtro ſit numine fauſtum
Coniugium,& ſponſo munera ferte nouo.
Sponſo,quæ deceant,Charites date munera,ſponſæ
Quîs animum poßit demeruiſſe ſuæ.
Sponſæ,quæ deceant,Charites date munera,ſponſi
Quîs animum poßit demeruiſſe ſui.
Nos & vos inter quoniam Concordia ſemper
Exſtitit,hãc Cypria cum properate Dea.
Nectite iucundo Charites hos vinculo amantes,
Vna eadémque vt mens corpora bina ſient.
Adſitis blandæ Charites,Iouis inclyta proles,
Et thalamum ſponſi condecorate noui.

TER-

Nunc eſt gaudendum, nunc iubila læta canenda,
Lætitiæ præſens eſt tribuenda dies.
Nil ferat iſta dies præter riſúsque iocósque,
Lætus hymen gaudet riſibus atque iocis.
Iſto læta die pangamus carmina ſponſo.
Triſtitia eſt omnis nunc abigenda procul.
Iam non delectent nos otia pigra, choreis
Iucundis præſens eſt peragenda dies.
Nunc pede pulſanda eſt tellus, hilarésque choreæ
Ducendæ, hoc mandat connubialis hymen.
Nunc manibus iunctis decet indulgere choreis,
Dulciſonam Phœbo percutiente lyram.
Poſſelium Cytherea nouo nunc ornat honore,
Poſſelióque Annam copulat ipſa ſuam.
Ergo ades huc etiam facilis Saturnia Iuno,
Quæ ſoror & coniunx diceris eſſe Iouis.
Huc ades, & caſti ſocialia fœdera lecti
Sancito auſpicijs pronuba Iuno tuis.
Huc ades, atq; tuas præſtanti corpore nymphas
Ad thalamos etiam ducito Iuno nouos.
Paulliſper nunc linque Argos, ditésque Mycenas,
Et Spartam, & pulcram linquito Iuno Samum.
Huc ades, huc Iuno properato. namq; carere
Nulla poteſt vnquam numine tæda tuo.
Ille parùm felix amor eſt lectúsque iugalis,
Qui caret auſpicijs auxiliísque tuis.

His igitur ſacris ne dedigneris adeſſe,
Auxilium thalamus ſentiat iſte tuum.
Sic tibi Diua Sami, grati accendantur odores,
Sic cadat in templis victima multa tuis.
Sic te pulcra Samos merito veneretur honore,
Sic fument aris thura Sabæa tuis.
Sic te, quo par eſt, ritu Rhodos atque Mycenæ,
Sic Argos, ſic te Sparta vetuſta colat.
Sic tuus haud poſthac ſocialia iura reſcindat
Iuppiter, at ſeruet fœdera pacta tori.
Vt ſolet, illicitos haud vnquam affectet amores,
Atque peregrini turpia furta tori.
Te ſeſe oblectet, te ſolam diligat, illum
Complexu foueat fœmina nulla ſuo.
Non tuus in rutilum mutari Iuppiter aurum,
Nec poſthac aries corniger eſſe velit,
Fallere nec niuei tentet ſub imagine cygni,
Sumere nec vultus caſta Diana tuos.
Huc ades, & placido ſponſam Diua adſpice vultu,
Vt parere aſſueſcat numine fulta tuo,
Incolumémque ſua ſerua cum coniuge ſponſum,
Cumææ vt felix ſecula vatis agat.

VRANIA.

Vos iam Pierides, & tu Latonia proles
Poſſelio optaſtis proſpera fata ſatis,
Illius & grato decoraſtis munere lectum,
Dum canitis docto carmina Poſſelio.

Nec

Nec dubito, inceptum ſponſi quin numine veſtro
Coniugium, & felix tæda futura ſiet,
Veſtráque, non ſinet, vt ſint irrita vota, benignus
Iuppiter, haud veſtras reſpuet ille preces,
Ac dabit, vt ſponſo feliciter omnia cedant,
Quæ cupijt Phœbus Caſtalidéſque Deæ;
Efficiétque, ineant vt felici alite ſponſa
Cum ſponſo ſancti fœdera coniugij.
His ego prætereà poſſum nihil addere votis
Vrania, à cœlo nomen adepta meum,
Quàm precer vt, ſummus velit hæc rata Iuppiter eſſe,
Votâque iudicio comprobet iſta ſuo.
Huc adſis igitur rex maxime Iuppiter, adſis,
Imperium cuius terra polúſque tremunt,
Auxilióque tuo hæc nunc ſacra marita ſecunda,
Connubium & felix hoc, precor, eſſe iube,
Et tu Iuno veni coniúnxque ſorórque Tonantis,
Et tecum nymphas huc iube adeſſe tuas.
Túque etiam ad feſta hæc facilis Cytheræa venito,
Et tibi ſit ſocius teliger ille puer,
In ſponſum ſua qui conuertat ſpicula, ſponſæ
Nec parcat, quò ſit par in amore fides.
Duc etiam Charites blandiſſima numina tecum.
His ſine non vnquam ſacra marita placent.
Túque Hymen adſis præcinctus tempora myrto,
Et tua flagrantem lampada dextra gerat.
Hæc omnes ſimul ad genialia ſacra venite,
Diíque Deæque, quibus ſacra marita placent.

Iſta dies vobis ſacra eſt, qua Virgo decora
Poſſelij thalamum patre iubente petit.
Adſitis faciles, vt iuſtis menſibus actis
Sponſa queat mater, ſponſus & eſſe pater.
At tu, qui ſolis iuuenis ſeceſſibus erras,
Naturæ admirans omniparentis opus,
Et tacitus tecum meditaris, mittere ſponſo
Poſſelio quænam munera digna queas,
(Namque tuo præceptori des munus, oportet.
Diſcipuli noſtri munus id eſſe pij.)
Non animum inducas aurum vel mittere gemmas,
Quidquid & in pretio mobile vulgus habet.
Vilia ſunt hæc, & cunctis obnoxia telis
Fortunæ, nequeunt ſalua manere diu.
Te ſponſo meliora decet dare munera, ad uſque
Extremos poſſint quæ ſupereſſe rogos.
Ergo age, Poſſelium celebrato carmine ſponſum,
Pauca ipſi magnum carmina munus erunt.
Nec dubita, tàm ſunt hæc ſponſo grata futura,
Quàm ſi cum gemmis aurea pocla dares.
Nam meliora alijs tantò ſunt carmina donis,
Quantò argentum auro vilius eſſe patet.
Cum gemmis aurum, &, ſi quid pretioſius illis
Eſſe poteſt, perit, at carmina ſola manent.
Carminibus viuunt clari poſt funera reges,
Et toto ipſorum nomen in orbe viget.
Hectora quis noſſet, magnum quis noſſet Achillem,
Sit niſi docte ſuper carmen Homere tuum?

Car-

Carminibus viuit facundi fama Maronis,
Carminibus viuit Naſo poeta ſuis.
Sed tibi Parnaſſi conſcendere culmina montis,
Pegaſeo nec adhuc fonte bibiſſe datum eſt,
Atque ideò haud tantæ tibi ſunt in carmina vires,
Poſſelij poſſis vt celebrare torum.
Erga tua, vt poteris, hæc carmina mente reconde,
Quæ cecinit Phœbus Pieridésque Deæ,
Atq; hæc Poſſelio nunc mitte, & nomine noſtro,
Tu præceptori fauſta precare tuo.
At nos Aonios nunc hora reuiſere montes
Admonet, æternùm tu Pithopœe vale.
Hæc ſimulac Muſæ & pulcer cecíniſſet Apollo,
Gorgoneos pariter mox adiêre lacus.
Aſt ego ſollicita cùm ſingula mente notaſſem,
Iudicio hæc miſi ſponſe legenda tuo.
In quibus, vt fit, ſi fortaſsè errata notabis,
Non Muſis culpa eſt, ſed tribuenda mihi.
Quod ſupereſt, Muſis iungo mea vota nouenis,
Atque precor thalamo proſpera fata tuo.
Sponſe tuum ſeruet ſemper concordia lectum,
Excedántque tuo iurgia cuncta toro:
Incolumis videas & lætus pignora lecti,
Quæ pariet coniunx Anna futura tua,
Sponſe tibi Pylij contingat Neſtoris ætas,
Sponsáque Cumææ tempora vatis agat,
Viuito tranquillus, felix, & viuito lætus,
Cúmque tua æternùm coniuge ſponſe vale.

Roſtochij, menſe Septembri, anno 1557.

Epithalamium in nuptias Clariſsimi viri, D. Lamberti Kerckoff, I. V. Doctoris ac Patricij Roſtochiani, & modeſtiſſimæ virginis Annæ, filiæ Doctiſſimi & integerrimi viri M. Ioachimi Luſchouij, ciuis ac patricij Roſtochiani.

Chriſte Dei ſoboles, perfectáque patris imago,
Qui ſacra legitimi firmaſti fœdera primus
Connubij, & tenuem mirando munere ſponſum
Ornaſti, quando ſacris accumbere menſis
Dignatus, liquido feciſti ex flumine vinum,
Scilicet vt proprio exemplo, factóque ſtupendo
Dulcia coniugij te pacta probare doceres,
Huc ades (eſt etenim ſine te labor irritus omnis)
Paucáque dum ſponſo Doctori ſcribere conor
Carmina Lamberto Kerckhouo, & dicere caſti
Coniugij heroo laudes & præmia verſu,
Suppedita vires, ditémque in carmina venam,
Et iuuenis ſacro linguam mentémque guberna
Flamine, quò ſponſo ſimul & tibi, maxime Chriſte,
Grata canam, ac vtrique ſui tribuantur honores,
Vnius eſt igitur legittima copula ſponſi,
Fœminæ & vnius, ſoluendáque non, niſi morte,
Coniugium, celſi quam rector & auctor Olympi,
Conſilio inſtituit mirando, vt pectore caſtam
Eſſe Deum mentem toto ſtatuamus, eúmque

Pura

Pura etiam & caſta diſcamus mente colendum,
Atque vt per ſacras caſti mortalibus auctis
Coniugij leges & dulcia vincla, parari
Ritè Deo æternùm victura eccleſia poſſit,
Egregijs ergo celebrari laudibus illi
Haud ſunt immeritò digni, qui cœlibe vita,
Impuríſque libidinibus, ſcortíſque relictis,
Quæ placeat, multis ſumunt ex millibus vnam,
Laudatam forma & morum probitate puellam,
Cum qua, quod ſupereſt, vitæ traducere tempus
Suauiter, innocuè, ſanctéque, & linquere poſt ſe
Prognatos ſocia poſſint ex compare, ſummum
Agnoſcant qui ritè Deum, venerentur, améntque.
Non etenim mortalis homo, non inclytus heros,
Non rex, non princeps magnus, clarúſue monarcha,
Non ſanctorum aliquis celebri de ſtemmate patrum,
Sed Deus ipſe, boni cauſſa & fons vnicus omnis,
Ex nihilo, ſolo qui condidit omnia verbo,
Sublimem nitidúmque polum, ſtelláſque micantes,
Lucentémque globum Solis, Lunámque bicornem,
Qui certo & ſtabili diſtinguunt tempora motu,
Aethera perſpicuum ardentémque, ac aëra purum,
Horriſonóſque maris fluctus, tumidáſque procellas,
Fluminum & obliquos tractus curſúſq; perennes,
Atque quieſcentem ſtabili libramine, mundi
In medio, propria grauitate & pondere magno,
In circumfuſo pendentémque vndique terram
Aere, multiplices, vt cuncta animalia paſcat,

Gignentem fructus, atque, vt ſemel omnia dicam,
Quidquid habet vaſti miranda hæc machina mundi,
Et qui cuncta poteſt, qui, quod vult, efficit idem,
Cui nec principium, nec finis competit vllus,
Qui ſolus ſapiens, verax, ſolúsque benignus,
Qui ſolus iuſtus, bonus, & liberrimus idem eſt,
Quo nihil eſt maius, nihil eſt perfectius, eſt nil
Sanctius & melius, nihil eſtque potentius vſquam,
Supremus qui rex regum eſt, dominúsq; potentum,
Quíq; Duces ſuperat cunctos, magnósq; monarchas,
A quo maieſtas regnorum, omniſque poteſtas
Imperij in terris orta eſt, venerandáque ſceptra,
Qui ſolus cœlum, pontum, terrásque iacentes
Suſtentat, ſolúsque regit, quíque omnia ſeruat,
Aere quæ liquido, ponto, terráque mouentur,
Cuius diuino ſubſiſtunt numine cuncta,
Ille, inquam, ille opifex mundi, rerúmque creator
Cunctarum, immenſa bonitate & ductus amore
Humani generis, nullo mediante, ſtupendo
Prorsùs conſilio, & tanta ſapientia, vt illam
Nemo hominum tacita poßit comprendere mente,
Nedum ſermone & dignis exponere verbis,
Coniugij ſacras leges & dulcia pacta
Repperit, inſtituit, ſanxit, firmauit, & idem,
Legitimè vt pariter cara cum vxore maritus
Dormirent iuncti thalamo mandauit eodem,
Atque inter ſeſe caſti pia gaudia amoris
Concordes, faciléſque, & læta pacis amantes,

Iur-

Iurgiáque & turpes rixas, litésque peroſi,
Perciperent, tantóque Dei fruerentur honore,
Atque ex ſe dulcem ſobolem, natósque crearent,
Et natos natorum, & qui naſcuntur ab illis,
Terrarúmque orbem multa ſic prole bearent.
Ille ſimul iuſsit primos habitare parentes,
Ille tibi fidam vitæ comitémque laborum,
Eiuſdémque tori ſociam coniunxit Adame,
Ex hac vt vacuas & adhuc cultore carentes
Terras ſuſcepta numeroſa prole repleres,
Atque ex te genitam longo ſic ordine poſſes
Ducere progeniem, ſerósque videre nepotes.
Ille idem reliquis etiam poſt multa ſecutis
Secula, præſcripſit leges mortalibus iſtas,
Quas vult ſeruari ſanctè, edicítque ſeuero
Imperio, has hominum violare, & pendere parui
Audeat vt nemo, aut quidquã has admittere contra,
Inque his commendat ſocialia fœdera caſti
Coniugij, & cunctos grauiter monet atq; ſeuerè,
Queîs illud rarum prorſus cœleſtéque donum
Cœlitùs eſt caſtæ haud conceſſum virginitatis,
Qui prauis nequeunt moderari affectibus, hísque
Inijcere haud frenos nôrunt & vincula firma,
Nec rapidos fœdæ cæcæque libidinis æſtus
Vincere, & illiciti flammas exſtinguere amoris,
Legitimam vt ducant vxorem, animúmq; refrenent
Indomitum, & Veneris furtiuæ turpia amantem
Gaudia, coniugio, & caro cum compare iuncti

Innocuam aſſueſcant & caſtam degere vitam.
Nunc etenim, poſtquam Satanas, Draco peſſimus ille
Atque vafer ſerpens, quo non crudelior alter,
Aſtu deſtruxit totum crudeliter orbem,
Prò dolor, & ſanctum miſerè coniecit Adamum
Et totum mortale genus, poſt tempora multa
Ordine quod longo, ex primo deſcendit Adamo,
In lapſus varios, turpésque, & triſtia damna,
Errorésque vagos, atque infinita nefandi
Peccati genera, & ſexcenta pericula vitæ,
Nec non, quo magis eſt haud formidabile quidquam,
Aeternam tandem in mortem, pœnásque perennes,
Nunc, inquã, hæc alias prima atq; potiſſima cauſſas
Eſt inter, cur ſancierit Deus ipſe pudicas
Coniugij leges, atque has coli ab omnibus æquè
Mandârit, ſumma & cum relligione teneri,
Scilicet, vt caſta veneremur cuncta potentem
Mente Deum, caſtáque ipſum quoq; voce rogemus,
Atque Deo meritos caſti præſtemus honores,
Impurósque vt concubitus ante omnia ſemper
Atque inconceſſos longè fugiamus amores,
Vt ſcelerum vltrices pœnas vitare queamus,
Quæ certò vetitos ſemper comitantur amores,
Diſcamúsque, Deum mentem hac ratione pudicam
Eſſe, atque hac ipſum propria virtute ſciamus
Immundis à ſpiritibus diſcernere rectè.
Diuini hæc liquidò ſacrata volumina verbi
Paſſim confirmant multis in partibus, iſto

Velle

Velle loco cunctas quas nil memorare neceſſe eſt.
Inprimis autem Diuus teſtatur idipſum
Perſpicuè Paullus, verbi præco ille diſertus
Diuini, quo non alius præſtantior vllus
Dogmata ſancta Dei, vitámque docere modeſtam;
Vnuſquiſque, inquit, prorſus vitarier omnes
Concubitus vetiti vt poſſint, & turpia ſcorta,
Legitimam vxorem ducat, viuátque pudicè.
Atque hæc ante alias longè ſit maxima quamuis
Coniugij laudes, quòd ab ipſo cuncta potente
Terrarum rectore Deo, pontíque profundi,
Sancitū eſt, tamē hanc minimè ſolam eſſe, putandū.
Vitæ etenim humanæ non eſt antiquius vllum
Coniugio genus, vt quod prima ab origine mundi
Principium ducit, quódque illo tempore ſummus
Inſtituit Deus, illæſæ plenæque fuerunt
Cùm cunctæ vires humanæ mentis, & vllum
Quando homini vitium nondum adfuit, vlláue labes.
Prima etenim omnipotens cùm fundamenta futuri
Ieciſſet mundi Deus, & iam ritè creata
Eſſent cuncta λόγῳ, qui ante omnia ſecula verus
Omnipoténsque Deus, genitus de patre perenni eſt,
Solus homo deerat præſtantior omnibus vnus,
Qui regere imperio terras atque æquora ſciret,
Et ſubiecta ſibi parére animalia cuncta,
Terreſtrésque feras, piſces, pictásque volucres
Cogeret, & tanto lætus frueretur honore.
Ergo conſilio bonus & ter maximus idem

Prudenti Deus, accepta, quæ fortè iacebat,
De gleba terræ, propriæ ſimilem effigiei,
Arte hominem effinxit mira, qui viueret ipſo
Coràm, in iuſtitia perfecta, & cuncta potentem
Ritè Deum poſſet cunctarum agnoſcere rerum
Factorem, veráque illum pietate fidéque
Aſsiduè coleret, grata & qui mente referret
Illius immenſam bonitatem & dona ſtupenda.
Sic poſtquàm altitonans hominem formaſſet, eundē
Conſtituit regem & dominum terræque maríſque;
Iúſque & ſceptra homini regalia tradidit omnes
In volucres, piſcéſque, & cuncta animalia terræ;
Et ſacri hunc etiam paradiſi in pulcra locauit
Mœnia, quo toto non pulcrior alter in orbe
Hortus erat, quem cunctipotens ornârat odoris
Floribus, arboribúſque, & verſicoloribus herbis,
Veſcendóſque homini fructus, quoſcunque ferebat
Omniparens tellus, tribuit, iuſsítque, creatis
Omnibus vt rebus ſeſe oblectaret Adamus.
At pater omnipotens, qui intelligit omnia ſolus,
Aduertens, quòd nulla vnquàm perfecta voluptas
Eſſe queat comite abſque aliquo ſocióque bonorum;
Vitæ adiutricem & ſociam decreuit Adamo
Condere, quæ ex omni ſimilis parte eſſet eidem,
Cum ſanctóque ſimul cunctis frueretur Adamo.
Ergo Deus placido primum deuincit Adamum
Somno, &, conſilij is dum prorſus neſcius huius,
Alto ſtertit humi conſtrictus membra ſopore;

De

De laterum coſtis vnam detraxit Adami,
Et ſubitò caſtam, lepidam, formáque puellam
Inſignem ex dura coſta formauit, eámque
Artifici effictam ſic dextra, adduxit Adamo,
Ipsíque hanc verbis commendat talibus vſus;
Hanc tibi me coràm quam adducere cernis, Adame,
Natura tibi conſimilem membríſque puellam,
Ipſe tui lateris deſumtam ex carne creaui.
Hanc tibi do vitæ ſociam, fidámque miniſtram,
Hanc tibi do vxorem, atque æterno fœdere iungo,
Sítque tuæ, iubeo, vitæ lectíque iugalis
Conſors, & multa reddat te prole parentem.
Hac te oblectato, hanc ardenti amplectere amore;
Túque tuum, moneo, ſponſum ò noua virgo memento
Diligere ardenter veróque ex corde, tuíque
Imperio parere lubens aſſueſce mariti.
Sic ò ſponſe, noui túque ò noua ſponſa mariti,
Creſcite, & innumera dehinc terras prole replete.
Quæ verò in toto ſincerior orbe voluptas,
Quàm ſummi veneranda Dei mandata ſequentem,
Deligere ex multis nympharum millibus, vnam
Egregiam pulcro vultu caſtámque puellam,
Háncque tibi æterno coniungere fœdere ſponſam,
Atq; tuam hanc ſemper dulci appellare maritam
Nomine legitimam, hanc blando ſermone vocare,
Lux mea, vita mea atq; animus, mea certa voluptas,
Spes mea, delicíæque meæ, mea cura, decúsque,
Et thalamo iungi cara cum virgine eodem,

Cúmque hac peruigili & duro defeſſa labore
Membra ſimul placido lætum recreare ſopore,
Et poſitis curis iucundos carpere ſomnos,
Et ſocia hac, caſti pariter pia gaudia lecti
Percipere, & licitæ Veneris decerpere fructus,
Hanc amplexari, colludere ſuauiter huius
Optato in gremio, candenti brachia collo
Iniicere, & roſeis defigere mille labellis
Oſcula, quîs nectar certè haud eſt dulcius vllum,
Inque huius teneris requieſcere molliter vlnis?
Ferreus eſt igitur, durísque è cautibus ortus,
Quem nihil afficiunt genialis gaudia lecti.
An verò magis eſt res delectabilis vlla,
Atque ex legitima progignere coniuge prolem,
Innumeram, qua ædeis poſsis implere vacantes
Indolis ingenuæ natos, pulcrásque puellas,
Hósque omnes alacres, animóque & corpore ſanos
Adſtantes propriæ circùm conuiuia menſæ
Cernere, propoſitúmque decenter carpere panem,
Frugiferi velut autumni cum tempore primo
Vndiq; pampineis vites onerantur ab vuis,
Aut olea eſt veluti multo cùm turgida fructu:
Háncque ex te natam caráque ex coniuge prolem
In vero Domini rectè enutrire timore,
Atque hac poſt te alios ratione relinquere ſummi
Cultores famulósque Dei, qui debito honore
Afficiántque colántq; Deum, quíque omne per æuum
Collaudent, celebrent, noménque ipſius adorent?

His

His equidem tu non vaſti ditiſſima mundi
Præpoſuiſſe velis regna, in quibus omnia curis,
Sollicitóque metu, & miſeris ſunt plena querelis,
In quibus inuidia infelix dominatur, & acris.
Liuor, vbi triſtes conturbant cuncta dolores,
Nullam vbi habet ſedem virtus & vera voluptas;
Non celſas regum turres & ſplendida tecta,
Præluſtrémque magiſtratum, faſcésque ſuperbos,
Atque triumphales currus, & regia ſceptra,
Sollennes lautáſque epulas, pompáſque frequentes,
Non ſolido veſtes auro gemmíſque rigentes,
Non quidquid tumidis regum reperitur in aulis.
His alij fluxis rebus, permitte, fruantur,
Has indefeſſo quærant ſtudio atque labore,
His ſolis ſtulti ſe credant eſſe beatos;
Te iuuet in teneris ſponſæ iacuiſſe lacertis,
Inque ſinu tepido caram fouiſſe puellam;
Impiger extremos currat mercator ad Indos,
Per fas, pérque nefas ſtudeat diteſcere, vendat
Turpi animam lucro, exiguæ fragilíque carinæ
Committat vitam multis cum mercibus ipſam,
Nílque intentatum ſinat auri impulſus amore.
Innumerás mendicus opes corradat auarus,
Sollicitis iuuet hunc cenſus numerare bonorum
Articulis, miſerè & grauibus palleſcere curis,
Diuitijs inhient alij ſine fine caducis,
Quos auri tenet atra fames & dira cupido;
Impia delectent alios certamina Martis,

Hos recreet clamórque virûm, clangórq; tubarum,
Armorúmque aliĳ ſtrepitus cædésque cruentas
Sectentur, durámque petant per vulnera mortem:
At tibi tranquillæ ſemper ſint otia pacis
Cordi, ſint caſti curæ tibi gaudia amoris.
Bella gerant aliĳ, quîs ſunt ad prælia vires,
Coniuge cum cara tu te oblectare memento.
Tutius eſt (mihi crede) toro iacuiſſe iugali,
Molliter & caram lateri applicuiſſe puellam,
Luctantes tacito ventos audiſſe cubili,
Quàm clypeos & caſtra ſequi, ſtrepitúsq; tubarum.
Quò mihi diuitiæ, & cunctarum copia rerum,
Quid curuo prodeſt multos proſcindere aratro
Agros, & duro tauros onerare labore,
Quid, ſi ſint varĳs impletæ frugibus ædes,
Innumeríque greges ouium ſi in montibus errent,
Quid nitidæ gemmæ, quid fuluum proderit aurum,
Quid magni infelix prodeſt opulentia Crœſi;
Si deſit, pariter quæ mecum his omnibus vti
Cara queat coniux, quæque experiatur eandem
Fortunam mecum & ſociæ diſcrimina vitæ,
Quæ, ſi quando, vt fit, fortuna aduerſa repugnet,
Et curæ ſubeant, morbi, triſtísque ſenectus,
Conſilio poſſit, verbis, operáque iuuare,
Totius & vitæ comes & fida eſſe miniſtra?
Præcipuos deinceps fructus & præmia caſti
Coniugĳ, quantùm potero, enumerare ſtudebo,
Hísque, Deo cœptum non impediente laborem.

Expo-

Expoſitis,feſſam deducam ad littora nauem,
Tu modò Chriſte meæ ne languida vela carinæ
Deſere,vt optatum poſsit pertingere portum.
Ergo Dei ſacris monitis parére parati
Legitimam vxorem ducunt quicúnque,iugóque
Libera iucundo cupientes ſubdere colla,
Caſtam traducunt cara cum coniuge vitam,
Indubitata manent hos & fallentia nunquam
Præmia magna pudicitiæ,vitæque iugalis.
Molliter innocuæ traducunt tempora vitæ,
Lite carent,rixa,& ſæuæ certamine linguæ,
Tranquillíque ſuæ toto ſunt tempore vitæ,
Sunt hilares,lætis ſectantur & otia rebus,
Quęque pio & multo ſunt acquiſita labore,
His grati atq; alacres,iucunda in pace fruuntur.
Horrida ſanguinei non ipſos prælia Martis
Contriſtant,nec terrifico infeſtantur ab hoſte,
Pacatas habitant ædes,& prædia auita
Amplificant,pingueis ducunt ad aratra iuuencos,
Et cuncta ipſorum pax alma negotia reddit
Proſpera,ad optatum deducunt omnia finem
Conſilia,& magno præ alijs cumulantur honore.
Præterea caſtam cara cum coniuge vitam
Degunt,& licito ſanctóque fruuntur amore.
Mente Deum poſſunt caſta implorare,Deíque
Auxiliatrices caſta in ſua vota vocare
Voce manus,nec ſunt horum irrita vota precéſque.
Nam cùm caſta Deus ſit mens,caſtos quoq; curat.

Sunt & opes ipſis, rerum quas poſtulat vſus,
Corpus habent etiam ſanum, mentem quoq; ſanam,
Vitáque longæua eſt ipſis, & læta ſenectus,
Et natos natorum, & natos rursùs ab illis
Cernunt, qúæque patrem referat pietate fidéquè
Progenerant ſobolem, Saræ pius arſit amore
Thariades, natus patris eſt exempla ſecutus,
Iſacidésque ſui legit veſtigia patris.
Vſq; adeò hæc caſtam comitantur commoda vitam.
Contrà certa manent impuram hæc præmia vitam,
Mens mala, pauperies, morbi, infelíxque ſenectus.
Vſque adeò eſt inimica Deo res fœda libido.
Hanc vndis punit, flammis, bellísque cruentis.
Nónne libidinibus pollutum turpibus orbem
Iratus totum rapidis ſubmerſit in vndis? (ram
Nónne Adamã, Zeboim, Sodomã, turpémq; Gomor-
Cœlitùs emiſſo deleuit funditùs igne?
Gibea non potuit diuini nùminis iram
Euitare, graues pœnas dedit igne cremata.
A proprio Dauid, poſtquam eſſet factus adulter,
Pulſus in exſulium eſt gnato, regnóque remotus.
Quid memorem Thebas, quid magnæ incẽdia Troiæ?
Troia decennali miſerè vexata duello,
Ob Paridis ſcelus in cineres eſt verſa cruentos.
Has metuunt nunquam pœnas, cum coniuge cara
Quicúnque inſtituunt caſtam traducere vitam.
Qui ſapit ergo, ſibi ſociam comitémque laborum,
Et vitæ auxilium conſtanti fœdere iungat.

Hoc

Hoc iubet ipſe Deus. ſuadent hoc præmia magna,
Quæ caſtum certò ſemper comitantur amorem.
Ad te ſed cœptum nunc ò Clariſſime Sponſe
Carmen cõuerto; hæc referunt te carmina ſponſum.
Gratulor ergo tibi Doctor Lamberte, túaque
Eximiæ ſponſæ, vero quam diligis igni,
Quòd veneranda Dei monita & præcepta ſecutus
Iunxiſti æterno pulcram tibi fœdere ſponſam,
Annam Luſconia veteri de ſtirpe creatam,
Quæ Laciburgiacas inter ſic eminet omnes
Moribus inſignes, formáque decente puellas,
Fulgore vt reliquos præcellit Lucifer ignes.
O meritò ante alias fortunatiſsima nymphas,
O nimiùm felix, ò térque quatérque beata
Anna, quòd es tali coniunx ſocianda marito.
O mihi nunc illæ ſi ſint in carmina vires,
Quas Maro, quáſq; habuit tenerorum luſor amorũ,
Anna, tuum vt digno collaudem carmine ſponſum.
Saxonicas vrbes inter celeberrima longè
Vrbs antiqua iacet ſeptem ſubiecta trioni,
Quæ fuit à populis Laciburgum dicta vetuſtis,
Hic, vbi Varnouius placidis latiſſimus vndis
Effundit denſos ad littora Baltica fluctus,
Atque Heliconiades ſedem fixêre ſorores,
Et docto citharam pertentat pollice Phœbus.
Hæc ô ſponſa tuo eſt dulciſſima patria ſponſo.
Nec nihil eſſe putes in tanta naſcier vrbe.
Tum quoq; habet claros virtute opibúſq; parentes.

Bertholdus pater eſt Kerckhouus, ſummus in iſta
Qui conſul fuit vrbe diu, & moderamine iuſto
Subiectos rexit ciues, atque otia læta
Pacis amans multis huic vrbi præfuit annis;
Margaris eſtque tui genitrix cariſsima ſponſi,
Ex Keldermannæ antiquo ſata ſanguine ſtirpis,
Quæ Laciburgiacas nulli virtute ſecunda eſt
Inter matronas & vita laude pudica.
Horum indefeſſo ſtudio vigilíque labore,
Inde vſque eſt teneris rectè enutritus ab annis,
Scilicet vnius triníque vt noſcere poſſet
Numen, vímq; Dei, atq; hunc vt conſueſceret vnum
Verâ animi ſemper pietate fidéque timere,
Totius & vitæ mores vt ſciret honeſtè
Et regere innocuè, vitaréque turpia facta,
Virtutem amplecti & cunctis præponere rebus.
Nec tamen hæc tantùm didicit puerilibus annis.
Poſt hanc prima fuit pietati adiungere cura
Ingenuas artes, linguas græcam atq; latinam.
Has vbi iam vigili ſtudio cognouerat artes,
Altiùs in ſtudijs cupiens procedere, cœpit
In leges ſtudium Romanas gnauiter omne
Conferre, & ſacri ſinuoſa volumina iuris
Perlegit vigili cura noctésque diésque,
Et licet immenſi res eſſet plena laboris,
Attamen haud voluit ſuſceptum linquere curſum.
Vicit amor iuris, legúmque immenſa cupido.
Pòſt quoq; iuridica iam rectè inſtructus in arte,

Diſcen-

Diſcendi ſtudio peregrinas viſere terras
Vrbésque inſtituit, perluſtratísque Lyceis,
Gallia quæ dives fouet & Germania victrix,
Venit in Italiam doctrinæ impulſus amore.
Vrbs antiqua iacet Muſis Phœbóque dicata,
Cornigero Eridano vicina, Bononia dicta.
Hîc vbi promeritum ex ſtudijs retuliſſet honorem,
Nomen honoratum legum Doctoris adeptus
Ad patrios redijt magna cum laude penates.
Inſuper, Anna, tui mores ſancti atque pudici
Sunt ſponſi, & caſtam degit ſine crimine vitam.
Quid multis? talis tibi contigit, Anna, maritus,
Quî cum tranquillæ traduces tempora vitæ.
Gaude ergo atq; Deo grates pro munere tanto,
Pectore dic toto, ſponsúmque ardenter amare
Anna tuum, ſponsóque lubens parére memento.
Nec Lamberte minùs ſponſe ò Doctiſſime gaude,
In thalamum tibi quòd talis deducitur vxor.
Quæ Lamberte tibi eſt, eadem quoq; patria ſponſæ,
Eſtque pijs etiam clarísque parentibus orta,
Doctrina & virtute viro præſtante Iochimo
Hæc tua Luſcouio ſponſa eſt genitore creata,
Qui meruit titulum ex ſtudijs noménq; Magiſtri,
Bernardo genitrix prognata eſt conſule Crono
Gertrudis, cuius pietas laudatáque virtus
Poſt cineres etiam fama eſt ſuper æthera nota.
Quid memorem mores etiam tibi ſponſe pudicos?
Penelopen veluti laudat veneranda vetuſtas,

Miratúrque tuum,Lucretia caſta,pudorem;
Sic te Roſtochium celebrat caſtiſsima virgo.
Es grauis,es ſimplex.ſincera,humana,modeſta.
Clamoſa lites & triſtia iurgia menti
Sunt aduerſa tua,pax eſt tibi candida cordi.
Inſuper vt varijs mens eſt virtutibus aucta,
Sic reliquum facies corpus commendat honeſta.
Ipſa Venus tecum ſi fòrs,me iudice,certet
De forma.Venus ipſa tibi,me iudice,cedet.
Ergo ſponſe Deo,toto dic pectore grates,
Tàm pia,tàm formoſa tibi quòd contigit vxor.
Quod ſupereſt,opto tranquilla tempora vita
Sponſe tibi,ſponſaque tua,quò menſibus actis
Ter trinis ſitis ſperata prole parentes.
Sponſe tui,precor,vt pax & concordia lecti
Sit comes,vtq; torum non rixa & iurgia caſtum,
Non lacryma & luctus,non vlla pericula turbent,
Cum ſponſa veniat Pylij tibi Neſtoris atas,
Vt liceat ſeros tibi cernere ſponſe nepotes.
Viuito tranquillus,felix,& viuito lætus,
Cúmq; tua aeternùm debinc coniuge ſponſe valeto.
Hoc pater æternus rutili fabricator Olympi,
Hoc,precor,efficiat cum ſacro flamine Chriſtus.

Roſtochij,menſe Ianuario,
anno 1558.

Pre-

Precatio pro felici coniugio viri eruditione & virtute præſtãtis M. Iohannis Langenhain Gothani, & honeſtiſſimæ virginis Sabinæ Furlingæ Vvittembergenſis.

I *nſigni tenuem, benigne Chriſte,*
O *rnaſti thalamum velut iugalem*
H *onore ex gelidi liquore fontis*
A *llatam faciens aquam referre*
N *aturam atq; boni meri ſaporem,*
N *aturæ dominum, Deúmque verum*
E *ſſe te Galilæa cùm videbat,*
S *ola qui omnia voce condidiſſet:*
L *ætum ſic iubeas Iohannis eſſe,*
A *rcta quî mihi cum neceſſitudo eſt,*
N *uptiale ſacrum, ſuæque ſponſæ.*
G *enus tu pie Chriſte condidiſti,*
E *xemplum foret vt Deíque imago*
N *on obſcura, ſed apta conditoris,*
H *umanum, ratione legibúsque*
A *ugeri voluiſti idémque certis.*
I *dcircò ſapientia ſtupenda,*
N *exu maſculus & puella viuant,*
S *anxti, perpetuo, paríque amore*
A *rdentes ſobolem toro iugali*
B *landè progenerent, piúmque caræ*

Inſtil-

I nſtillent ſoboli Dei timorem,
N e praue rudis educetur ætas,
A mpla eccleſia ſic Deo vt paretur.
F œdus hoc thalami, Deíque ſecum
V erſat dum ſapientiam Iohannes,
R ellicta ſtatuit priore vita,
L eges coniugij ſubire caſti.
I nſignem facie modeſtiáque
N ympham Leucorea ſibi vrbe legit,
G eſtu quæ placido, píæque nymphæ
Aptis moribus elegantiáque
Formæ, legitimo pium Iohannis
Inflammauit amoris igne pectus,
Et iam ſponſa, iubente matre, caſtum
Intrabit thalamum ſui Iohannis.
Ergo cum ſocia tori Sabina
Legi quandoquidem tuæ, Iohannes
Paret, optime Chriſte fac, tuo ſit
Ductu fertile, ſuaue, proſperúmque
Hoc caſtum thalami piúmque fœdus.
Inprimíſque tui perire lucem
Verbi in mentibus haud ſine vtriúſque
Accenſam, merito vt colant honore
Te Chriſte, ac ſtatuant ſuæ ſalutis
Spem ſolo merito tuo eſſe partam.
Tu ſponſi regito piúmque ſponſæ
Pectus Chriſte tuo, tuíque patris
Sancto pneumate, quò ſua per omne

Dicant

Dicant & faciant tibi probata
Vitæ tempus, & in Dei timore
Viuant aſſiduè. Pari vtriuſque
Mentem legitimóque amore necte,
Vt neuter thalami fidem refringat,
Sed ſolum ſuum amet Sabina ſponſum,
Et ſponſam redamet ſuam Iohannes.
Sit ſincerus amor, ſuauis, ardens,
Verus, ſuſpicionibus ſiniſtris,
Moroſáque carens acerbitate.
Non ſit litigio locus, ſed alma
Hunc Concordia firmet vſque lectum.
Da, læta videant píaque pacis
Semper tempora. Martis hunc cruenti
Non turbent thalamum nefanda bella.
Cœtus Chriſticolûm iacent & artes
Contemtæ ingenuæ, iacéntque quondam
Vrbes claræ opibus potentiáque,
Caſtum coniugij iacétque fœdus,
Quando bella ſonant tremenda Martis.
Cœtus Chriſticolûm vigent, & artes
Florent ingenuæ, vigéntque quondam
Vrbes paruæ opibus potentiáque,
Caſtum coniugij vigétque fœdus,
Quando tempora læta pacis adſunt.
Morborum genus omne peſtilentum
Hoc Chriſte à thalamo procul repelle,
Et ſponſo tribuas píaque ſponſæ,

Vires corporis atque ſanitatem,
Vt commiſſa ſibi queant obire
Vitæ munera vtérque diligenter.
Mordaces etiam repelle curas,
Et triſteis animo procul dolores,
Qui ſeneſcere tempus ante iuſtum
Multos, atque perire ſæpè cogunt,
Vita qui poterant frui beata.
Sed res inſtabiles nimíſque fluxæ
Eheu ſunt hominum, breuíſque vita
Atque obnoxia plurimis periclis.
Ergo pauperies onus moleſtum,
Morbi difficiles, grauéſque curæ
Si quando ingruerint, adeſto Chriſte,
Feſſis auxiliúmque ferto rebus,
Soletúrque ſuum Sabina ſponſum,
Dilectámque ſibi pius Iohannes
Sponſam. Sic placida piáque mente
Fortunam poterunt pati malignam,
Et caſus ſuperare læti acerbos,
Felicéſque ope mutua, paríque
Suauem ſemper agent amore vitam.
Da victum facilem parabilémque,
Annonæ prohibeto caritatem,
Largire omnia dextera benigna,
Quîs humana nequit carere vita,
Non vt diuitijs fruantur amplis,
Sed rerum mediocritate viuant

Con-

Contenti. Nimia, graues dolores,
Curas, ſollicitudinésque gignunt
Triſtes, diuitiæ. Beatus ille,
Cui menſa tenui nitet ſalinum,
Nec dulceis timor, aut opes habendi
Aufert immodicus cupido ſomnos.
Fœcundum facias, precor, Iohannis,
Chriſte, coniugium, & ſuæ Sabinæ,
Vt natos videant & inde natos,
Et ſtirpem amplificent domus paternæ.
Hic fructus thalami ſcopúsque caſti
Eſt ſummus, ſine quo ſuauis vnquam
Et felix torus haud erit iugalis.
Da longam placidámque, Chriſte, vitam,
Da lætam & facilem, precor, ſenectam,
Sponſo virgine cum ſua Sabina,
Vt quam te ſobolem iuuante gignent,
In timore Dei educare vero
Artésque ingenuas docere poſſint.
Hæc pondus iubeas habere, Chriſte,
Vota pro thalamo mei Iohannis.
Caſtum coniugij tibi probatur
Fœdus, legitimíque pacta amoris.
At contrà grauibus premíſque duris
Pœnis ſtupra libidinésque turpes.
Teſtis hiſtoria vniuerſa mundi eſt.
His iungas tua vota, ſponſe, votis,
Cum ſponsóque Deum precare ſponſa,

Sit felix tuus vt torúsque lætus
At tu ſponſe mei cape hoc amoris
In te non dubium piúmque ſignum,
Quod mitto tibi carmen impolitum.
Felix, fertile, ſuaue, ſane, lætum
Opto coniugium tibi túæque.
Exemplo monitus meo, viciſſim
Felicem thalamum tuo ſodali
Lamberto, atque meæ precare ſponſæ.

Dauentriæ, pridie kalend. Septemb. anno 1560.

Carmen in honorem nuptiarum Clariſſimi viri, pietate & doctrina præſtantis, D. Henrici Heſehuſij, Illuſtr. Comit. Schauenburgenſis &c. Cõſiliarij; & honeſtiſſimæ virginis Lambertæ, filiæ prudentia & virtute ornatiſſimi viri, D. Iohannis Bumgart, Conſulis Reipubl. Vveſalienſis.

Caſtus vt illicitos verè Deus odit amores,
Sic licito iunctum fœdus amore probat;
Vtque vagi mandat flammas frenemus amoris;
Sic thalami caſto mandat amore frui;
Triſtibus vt vetitos exemplis punit amores,
Coniugium varijs ſic fouet vſque bonis.

Feli-

Felices igitur, vita quicúnque relictá
Cœlibe, quæ flammis vritur vſque vagis,
Legitimo vitæ ſociam ſibi fœdere iungunt,
Vſque queant caſto cuius amore frui.
Hæc meus expendens Heſchuſius, Haud mihi vita
Eſt opus hâc, dixit, caſta puella placet.
Sic liciti tandem thalami ſuccenſus ab igne eſt;
Caſta Deum thalami pacta probare ſciens.
Iámque ſibi firmo delegit pectore ſponſam,
Tu mihi, cui dicat, tu mihi ſola places.
Hunc igitur docto celebrabunt carmine ſponſum,
Qui facili ſcribunt carmina docta manu.
Non mihi tam faciles veniunt ad carmina Muſæ;
Parua vel eſt numeris gratia nulla meis.
Qualiacúnque tamen fuerint, puto, ſponſe probabis,
Pro fauſtóque leges vota precésque toro.
Ergo Deus caſti præceptor & auctor amoris,
(Nullius eſt felix te niſi dante torus)
Flamine tu ſponſum ſacro ſponsámque guberna,
Vt thalamus laudi ſeruiat iſte tuæ.
Ac quoniam caſta tantùm vis mente vocari,
Et placida caſtas percipis aure preces,
Exaudi facilis, cara cum virgine ſponſus
Ad te quæ caſto pectore vota ferent.
Accenſam ſponſi ſponſæque in pectore verbi
Exſtingui lucem nec patiâre tui,
Vt tibi, quos mandas, poſſint perſoluere cultus,
Ac animi vera te pietate colant.

Nam, Deus, & quis ſis, & quo læteris honorè,
Nos, niſi vox verbi non docet vlla tui.
Tu Dëus vnanimi iungas duo pectora nexu,
Effice, ſit cáſto par in amore fides.
Lambertam Henricus conſtanti pectore ſponſam,
Quam ſibi legitimo fœdere iunxit, amet;
Lamberta Henricum conſtanti pectore ſponſum,
Quem ſibi legitimo fœdere iunxit, amet.
Des etiam ſano gratas in corpore vires,
Sédulus vt curet munus vtérque ſuum.
Hoc procul à thalamo morbi genus omne repelle,
Coniugij cœptum ne malè cedat opus.
Sic accepta, Deus, tibi munia ſponſus obibit,
Magnorúmque reget ſceptra decora Ducum.
Sic & ſponſa ſuæ defendens munera ſortis,
Grata erit officij ſedulitate ſui.
Diuitias etiam dextra largire benigna,
Non humana quibus vita carere poteſt.
Hunc immunda torum, prohibe, ne turbet egeſtas,
Turpia quæ multos quærere lucra iubet.
Non peto, regali ſplendeſcant omnia luxu.
Nam nimiæ damnum ſunt pietatis opes.
Menſa quidem parco, ſed lauto inſtructa paratu,
Munda ſit atque decens veſtis & apta domus.
Effice cunctarum facilis ſit copia rerum,
Quæ fragilem vitam corporis huius alunt.
Eſſe procul iubeas annonæ incommoda caræ,
Triſtia funeſtæ tempora pelle famis.

Huic optata toro placidæ des ocia pacis.
Præcipuè lætum pax facit alma torum.
Pace vigent artes, læta eſt eccleſia pace.
Publica res læta tempora pacis amat.
Triſtia depellas truculenti prælia Martis.
Præcipuè triſtem Mars facit eſſe torum.
Inter bella iacent artes, Eccleſia luget,
Publica nec ſolito res in honore manet.
Fac etiam pulcra ſponſam ſponsúmque parentes
Prole, pij eſt fructus maximus iſte tori.
Ac veluti grauidis vites onerantur ab vuis,
Et multo fructu pinguis oliua tumet;
Hi quoq; ſic videant proprios ex ordine natos,
Sumere propoſitos ore decente cibos.
Quam Deus his tribues prolem, veneranda parentum
Vt promto faciat pectore iuſſa, iuua.
Læta Deus facias tranquilláque tempora vitæ,
Quæ ſponſo & ſponſæ ſunt peragenda piæ.
Cura, metus, dolor, & mordacis iurgia linguæ;
Et non confidens ſollicitudo Deo,
Et caſtæ quidquid turbat pia gaudia vitæ,
Hoc procul à thalamo fac, precor, eſſe Deus.
At caſtæ quidquid firmat pia gaudia vitæ,
Huic, precor, id tribuas largiter omne toro.
Longa etiam placidæ tribuas his tempora vitæ,
Vt vera celebrent te pietate Deum,
Et doceant veræ natos pietatis amorem,
Ac moneant, quo ſit vita regenda modo.

M

Huic etiam ſuauem thalamo largire ſenectam;
Læta ſit auxilio feſſa ſenecta tuo.
Aurum & opes, Henrice, potens donabit amicus,
Ferre ego cùm nequeam munera, vota tuli.
Tu quoq; docte Deum cum ſponſa ſponſe precare,
Vt mea pro veſtro ſint rata vota toro.

Votum in nuptijs Bartholdi Redlich Iuriſconſulti, & Claræ, Iacobi Curionis Medici filiæ.

B *eatus ille, qui procul nefarij*
A *moris æſtus pectore*
R *epellit ex ſuo, Deique cogitans*
T *remenda cunctis dogmata,*
Homini bonum quæ ſolus vt ſit pernegant;
O *ratione ſedula,*
L *ecti à Deo ſociam & petit vitæ ſibi*
D *ari fidelem, & impetrat.*
V *iue ergo felix ſponſe ſponſa cum tua,*
S *ic quæ Nicrinas virgines*
R *efulget inter, vt minora ſidera*
E *xſuperat orbe Cinthia*
Decora pleno, Veſtra mens & pectora
L *egis Dei ſtudio ardeant,*
I *n hac & vna, regulam vitæ piæ,*
C *unctis ſequantur traditam;*
H *æreat amor ſic vſque veſtris mutuus*
C *ordibus, vt vnum ſentiant,*

L euétq; curas alter alterius graues
A duerſa ſi quas ſors ferat.
R ata namque nulla læta ſunt mortalibus.
A c poſteris prolis piæ,
C aſti autor & fautor cubilis, integra
V os mente ſimul & corpore
R eddat patres lætos, auos, proauos Deus;
I démque munificentia
O rnet, ſuáque nuptias præſentia,
N uminéque conuiuas ſuo
I nflammet, hilares vt pium ſponſo torum
S ponſæque precibus impetrent.
Hæc tacitus voui, ſponſo quo tempore ſponſam
Clara dies Claram Bartholdo duxit ad aram.
Veſper at accendet claro cùm ſidera cœlo,
Ipſe Deus thalamo caſtè vos iungat eodem,
Et tribus exactis ter menſibus eſte parentes.

Eitelbergæ XII kalend. Nouembr. anno 1567.

Voto reſpondit euentus.

Elegia de adoleſcente & puella.

Ver erat, & croceo campus ſpirabat odore,
Iámque nouos flores omnis alebat ager,
Dulcibus alituum reſonabat cantibus æther,
Et plantis inerant arboribúſque comæ.

Tempore conueniens tali eſt exire puellas,
Vt gemmante oculos paſcere rure queant.
Inuitata igitur fragranti veris odore,
Formoſa egreditur ſoláque virgo domo,
Scilicet ardenti correptum pectus amore
Poſſet vt in pratis exhilarare ſuum.
Plurima progrediens, tacitè ſecum ipſa volutat,
Multa bona exſpectans, & mala plura timens.
Cúmque procul patria iam diſceſſiſſet ab vrbe,
Ex longa ſenſit tædia nulla via.
Pergit in oppoſitum multa nemus ilicè denſum.
Illam cæcus amor ſuaſerat ire viam.
Fortè illa iuuenis ſilua pulcerrimus, acri
Vectus equo timidos inſequitur lepores.
Hunc vbi virgo videt, iuuenis mox arſit amore,
(Dignus enim iuuenis vultus amore fuit.)
Ac ſecum, Felix, ſi huius potieris amore;
Sin minùs, iſte tibi mors erit enſis, ait.
In nodum tunicas igitur collecta fluenteis,
Ne curſum poſſent impediſſe ſuum,
Proſequitur celeri iuuenem per deuia curſu,
Et properans alta talia voce refert;
Siſte gradum ò animo iuuenis cariſſime noſtro;
Non hoſtis te, ſed pulcra puella vocat.
Miratur iuuenis, miſſis canibúsque ferísque,
Vnde ſit, & quidnam vox velit iſta ſibi.
Conſtitit, attentúsq; oculis circùm omnia luſtrans,
Quæ lepori præſtet, cernit, adeſſe feram,

Præ-

Præſtantem facie nympham, nec multa moratus,
Ad nympham curſum dirigit inde ſuum,
Ac ait, ò ſolis virgo ſeceſſibus errans,
Quæ tibi ſuſceptæ, dic, rogo, cauſſa viæ?
Dic age, cur tanto iuuenem clamore vocâris?
Officium deerit non tibi, virgo, meum.
Illa flet, & gratum vultu teſtata pudorem,
Talia demiſſo lumine dicta refert;
Et dolor, & variæ triſti ſub pectore curæ,
Me miſeram hoc cogunt viſere ſæpè nemus,
Si fors ex blandis auium concentibus, vllum
Solamen poſſit pectus habere meum.
Nunc quoque me in nemus hoc eadē cauſſa ire coegit,
O animo iuuenis ſpes noua & ampla meo.
Me tamen haud ſolito adſpexit fortuna fauore,
Nec fuit hæc felix, vt fuit antè, via.
Pulcra mihi, & magno vix cuſtodita labore,
Et varios cantus docta volucris erat.
Vix miſera hoc ſubij patula nemus ilice denſum,
Cùm fugit ex manibus, prò dolor, illa meis.
Nunc igitur iuuenis flentis miſerere puellæ,
Et ſinito, has lacrymas pondus habere meas,
Méque iuua amiſſam, rurſus capere, oro, volucrem,
Et quo capta modo ſit retinenda, doce.
Ille ab equo, precibus motus lacrymiſque puellæ,
Deſiliens, volucrem, quam cupit illa, capit.
Poſt varios tandem luſus atque oſcula, dicit,
O animo & præſtans corpore virgo vale;

Me comitéſque, canéſque vocant, leporéſque relicti;
Te patriam eſt tempus rurſus adire domum.
Virgo refert; Miſeram ſic deſeris ergo puellam?
Qua nunc infelix fronte redibo domum?
Rectius heu quantò feciſſes, ſi mihi læſus
Per te non eſſet virginitatis honos!
Si tua, ait iuuenis, non prælibata fuiſſet
Virginitas, non te deſeruiſſe velim.
His, virgo, dictis oculos auerſa gemebat,
Largo per teneras imbre fluente genas;
Nulli tacta viro; teſtor pia numina, primus
Tu noſtræ ſpolium virginitatis habes.
Non potuit iuuenis flentem ſpectare puellam.
Virginis huic lacrymæ nam niuis inſtar erant.
Nec mora, plorantem blandè ſolatus amicam,
Coniugij addicit fœdera firma ſui,
Detractóque auro, digito quod fortè gerebat,
Hoc tibi habe noſtri pignus amoris, ait;
O virgo ante alias animo cariſſima noſtro,
Siſte graues lacrymas, grata mihi vxor eris.
Illa graues linquens gemitus triſtéſque querelas,
Sic ſponſum alloquitur læta repentè ſuum;
O animi, iuuenis vera & noua gaudia noſtri,
Solamen vitæ præſidiúmque meæ,
Ex toto grates dico tibi pectore, quòd me
Conſortem thalami feceris eſſe tui.
Antè, tamen vereor, totus quàm tranſeat annus,

Ne factum fruſtrà ploret vterque ſuum.
Sic fatur lacrymans, iuuenísque amplexibus hæret,
Purpureis figens oſcula blanda labris;
Infectum fieri factum nequit, ergo age poſthac
Mutua legitimus pectora iungat amor;
Quódque parùm cautè noſtrûm peccauit vtérque,
Corrigat officij ſedulitate ſui,
Communémque, pari ſtudióque fidéque tegamus
Errorem, noſtra hinc gratia maior erit.
Quam tibi do præſtabo fidem; tu redde viciſſim
Hanc ipſam conſtans, quam tibi dico, fidem.
Crede mihi, ſolam fuit haud operoſa puellam
Vincere laus; victam ducere, maior erit,
Maxima, ſic ductam uero conſtanter amore
Complecti, heu fragilis fœmina teſta nimis.
Et meus hic primus iuuenili in pectore flamma,
Quam genuit vultus forma decora tui,
Impetus & feruor, (fas, uerum dicere) ſiue
Ruſticitas fuit hæc, ſeu mea ſimplicitas,
Certè ſponte tua libeat modò uera fateri,
Iure, fauore tuo & dignus amore fuit.
Déq; malo maior non duros inter amantes
Gratia principio ſæpè fidésq; venit.
Ergo age, conceptum iam de te, fraude probanda
Hoc vteri blandum diſſimulemus onus.
Nec mora, cauta probans iuuenis præcepta puella,
Legitimi accelerat publica ſacra tori

Nupta,datur nuptum pro virgine,teſte marito,
Sic vteri blandum diſſimulatur onus,
Sponsáque ſepteno poſt ſacra iugalia menſe,
Fit pulcra,iuſto tempore,prole parens.
Qui ſapit,illecebras ſtulti deuitet amoris
Prouidus,eſt blandum blanda puella malum.

Dauentriæ,eidib.April.anno 1555.

CAR-

CARMINA IN HONOREM CONIVGII LAMberti Pithopœi & Adelheidæ Chriſtophoræ, Dauentrienſium.

IN SACRVM NVPTIALE Lamberti Pithopœi, affinis mei cariſsimi,

IOHANNES BOCERVS facieb.

Felices animæ, ſummo quibus æthere naſci
Contigit, atq; humiles aliquando viſere terras,
Et fragili dulces in corpore ponere ſedes.
Illæ continuant noſtræ primordia ſtirpis,
Transfuſaque ſuas humano in germine vires
Exercent, donec confecti terminus æui
Eximit has cæco mortalis carcere maſſæ,
Eleuat & cœlo rursùs, vel deprimit Orco.
At tu, qui nitido deducis ab æthere mentem,
Exoſus tenebras, curáque remotus inani,
Intentúsque Deo, rutilísque propinquior aſtris,
Ecquid in has miras naſcendi reſpicis artes,
Conſiliúmque Dei, fragili ſeu corpore iungat
Aeternas animas, ſupplex miraris, & vnde
Illa ſit humanæ quæris generatio vitæ?
Tùm tibi, ſi quid habes diuinæ luminis auræ,

Nec penitùs clauſi caligant crimine ſenſus,
Sponte ſubit, qua lege Deus mortalia naſci
Corpora decreuit, quales & repperit vſus
Naſcendíque modos, ſubit & venerabile ſacri
Coniugij vinclum, latus quo pulcrius orbis
Nil habet, & quo non aliud præſtantius vllum
Fecit opus, mundi Dominus rerúmque creator,
Illo ſuſtentat mortalia ſemina vinclo,
Ac homines alia naſci ratione recuſat,
Incensámque vaga tactámque libidine mentem
Odit, & in caſtum caſtiſsimus ille calorem
Conſentit clemens, mentes & iungit amicas.
Atque adeò calor hic, binos qui iungit amantes,
Primus ab immenſi deſcendit origine mundi
Principiúmq; potens illo de tempore traxit,
Pondere terreſtri nitidus quo factus Adamus
Ante Deum nudus, prauaq; cupidinis expers
Exſilijt, maſſáq; ſuam qua creuit eadem
Complexus ſponſam, caſtóq; repletus amore
Fundamenta noui mortali ſemine mundi
Ornauit, genus & per plurima ſecula noſtrum
Et mundi varia caros in parte nepotes
Immenſus genitor felici protulit ortu.
Quas opere in tanto flammas, quos ſenſit amores
Ille parens, quali dilectæ coniugis æſtu
Exarſit! cum ſe rutili de culmine cœli
Illa Dei trino ſub numine magna poteſtas
Protulit, & geminos hos flammas inter amantes

Accen-

Accendit,partémque ſui conceßit amoris,
Afflauítque duos de fonte ardoris eodem,
Quo pater & natus,ſimul & ſpirabile numen
Iunguntur,totúmque regunt concorditer orbem.
Vtque Deus magni flammas teſtetur amoris,
Quo genus humanum ex imis affectibus ardet,
Et ſibi ſit quantùm diſperſa eccleſia cordi,
Se Deus,ille Deus flagranti pectore ſponſum
Dicit,& hanc caræ ſponſæ dignatur honore,
Dulcibus atq; illi plenum ſe affectibus offert.
Cúmque loqui falsè,quemquam nec fallere poßit.
Ille Deus rerum ſator,& lux vnica Veri,
Non reputas,quales diuino in pectore motus
Nos homines ergà gerat,& quo flagret amore
Humani generis,modò ſi reſipiſcere vellet,
Turpibus & vitijs puras auertere mentes?
Hinc amor & prolis gignendæ tanta cupido,
Omnis & affectus dulcis,cognatáque cœlo
Temperies manat,ſubitóque probabilis ardor
Inter ſe binas felici ſidere mentes
Inſinuat,dulces & nutrit in oßibus ignes.
Aurea de cœlo vis hæc deſcendit,& omnes
Humano accendit iuſtos in pectore motus,
Rumpentésque procul ſocialia vincula næuos
Expellit,magnóque ardens ſuccumbit amori
Vir pius,inſtabili peccat dum fœmina lapſu.
Et qui defectus omnes,maculásque latentes
Supprimit,& nocuis citò non iraſcitur auſis,

Et calor ille,pio veniens qui cœlitùs vſu
Procreat humanam ſacra per connubia ſtirpem.
Talia lethali ſi prorsùs percitus œſtro
Nunquam animo reputas,ſi quando ducitur vxor,
Et ſacrata nouus ſuccedis limina ſponſus,
Cœlitùs haud tangunt ortæ tua pectora flammæ,
Nec te luce ſua diuinum numen obumbrat,
Sed cæco dubius raptaris in omnia motu,
Indigus & veræ lucis,neque roborè plenus,
Te tenuis peſſundat amor,cœlúmque videre
Abnegat,& cura terris affigit inani,
Pectora multorum nunquam ſecura malorum,
Nec te dulcis amor,nec te laudata voluptas
Coniugis & prolis ſtimulis accendit honeſtis,
Legitimæ flammæ fontem nec cernis amicum.
Hos,Lamberte,tibi,Phœbo ſuadente,Bocerus
Dedicat affinis verſus,thalamúsque iugalis
Vt cedat felix tibi longos optat in annos.
Et tu ſuadenti ſi quidquam credis,acerbos
Sperne Deæ vultus,tereti quæ nititur orbe,
Extorrem quæ te patrijs nunc cogit ab oris
Quærere difficilis ſolatia debita vitæ.
Hæc te fata pati,Deus eſt,qui cernit,& ipſe
Iuſtus erit vindex,mox vlciſcetur & hoſtes
Ipſe tuos,felix,tanto qui vindice vitam
Exigis innocuam,ſubitò mala turba peribit,
Iniuſtæ quæ cauſſa fugæ,immeritæque ruinæ
Exſtitit,intereà (neque toto ſæuit in anno

Tem-

Tempeſtas, pulsóque nitet Sol aureus imbre)
Roſtochium ſedes tibi felix ſpondet amicas,
Doctorúmque fauet tibi cuncta corona virorum.

Doctiſſimo & optimo viro, M. Lamberto Pithopœo, Dauentrienſi, coniugium felix, tranquillum & ſalutare optat DAVID CHYTRAEVS.

Δεσμὰ γάμοιο δύων ἔφυγες κακὸν, εὗρες ἄμεινον,
  Ὥς τὸ Ἀθηναίων φησὶ παλαιὸν ἔπος.
Ἄζυγες γὰρ πλεῖστοι ἀκήδεα θυμὸν ἔχοντες
  Χαῦνον καὶ πάντως αἰσχρὸν ἄγουσι βίον.
Χρῆμά τε παρθενίη σπάνιον καὶ ἐπισφαλές ἐστι,
  Συζυγίαν τοίνυν αὐτὸς ἔταξε θεός.
Θεῖον ἄρα ζυγός ἐστι γαμήλιος ἔργον, ἔρεισμά
  Ῥίζα τε καὶ πηγὴ ἡμερίοιο βίου.
Τοὔνεκα νῦν ἄγαμαι σοφίης σου, εὐσεβίης τε,
  Ὅττι βίου δέσμον καὶ γλυκύπικρον ἔδυς:
Ἐμπόδιον σοφίης, γαμετὴν καλεῖ Ἑλλάδος ἔθνος,
  Ἀλλὰ θεοῦ σοφίη, ἀνδροβοήθον ἔφη.
Εὐσεβέσιν τ' ἀλόχοισιν ἀεὶ πρόφρων ἐπαγήρει
  Χειρὸς ἀλεξίκακός τ' οἰκονόμος τε πέλει.
Οὗτός σοι Λάμβερτε ἅπασας εἰς γλυκὺν οἶνον
  Ἀθλιότητας ὁμοῦ κ' ἄλγεα πάντα τρέπει.
Αὐτὰρ ἐμὰ σφόδρ' ἄμουσα ἔπη τάχα νῦν ἀπορίπτεις,
  Τρηγορίου τοίνυν μέτρα ἄεισα λέγε.

Ἀλλήλοισι χέρες τε ϗ οὔατα ϗ πόδες ἔσμεν
Συζυγίῃ διπλοῦν δὲ γάμος ϗ ἄναλκιν ἔθηκε.
Χάρμα μέγ' εὐμενέεσσιν, ἄχος δέ τε δυσμενέεσι.
Ξυναὶ ϗ μελεδῶναι ἐλαφρίζουσιν ἀνίας.
Ξυναὶ δ' εὐφροσύναι γλυκερώτεραι ἀλφοτέροισι,
Τερπνότερος μὲν πλοῦτος ὁμοφρονέουσι τέτυκται.
Τερπνοτέρη πλούτοιο ὁμοφροσύνη χατέουσι.
Κλῆις δ' ἀμφοτέροισι σαοφροσύνης τε πόθων τε
Συζυγίη, ϗ σφρηγὶς ἀναγκαίης φιλότητος.
Εἷς πῶλος φιλίης σαιρτήμασι θυμὸν ἰαίνων
Ἓν ποτὸν οἰκιδίης πηγῆς, ξείνοισιν ἄγευσον
Οὔτ' ἐκτὸς προρέον, οὔτ' ἔκτοθεν ἄλλον ἀγεῖρον.
Συμφυέες σάκρεσσιν ὁμόφρονες, εὐσεβίης τε
Κέντρον ἐν ἀλλήλοισι πόθῳ θήγοντες ὅμοιον.

Doctiſſimo viro, M. Lamberto Pithopœo; amico ſuo cariſſimo felix precatur coniugium Iohannes Poſſelius Profeſſor Academiæ Roſtochienſis.

Οἶκον ἐϋκτίμενον, πλοῦτον ϗ κτήματα ἄλλα
  Ῥηϊδίως σφετέροις παισὶ δίδουσι τοκεῖς.
Ἀλλὰ γυνὴ σεμνὴ εἶδος θυμόν τε ἀρίστη
  Δῶρον ἐπουρανίου ἐστὶ θεοῖο μόνου.
Τὴν δὲ ὁ παντοκράτωρ κείνοις ἄνδρεσσιν ὀπάζει,
  Οἳ χόλον ἄζονται τοῦ μεγάλοιο θεοῦ.

Ἠδ'

Ἡ δ' ἁγνὸν σφετέρης τιμῶσι θεὸν φρεσὶν ἁγνῆς,
Ἱέμενοι φεύγειν πᾶσαν ἀτασθαλίην.
Τοῖος ἐπεὶ τελέθεις Λάμβερτε, ἔδωκεν ἀμοιβὴν
Ὑψιμέδων ὁ θεὸς νῦν ἀρετῇσι τεῇς.
Ἔνδικός ἐστι θεὸς τὰ ἀεικέα ἔργα κολάζων,
Καὶ δοὺς ἀντ' ἀρετῶν ἆθλά τε ἀντίδοσιν.
Οὗτος κουριδίην καὶ νῦν σοι ὄπαζεν ἄκοιτιν
Εὐσεβῆ ἠδ' ἁγνὴν καὶ χαρίεσσαν ἄγαν.
Ἐσθλὸς ἀνὴρ ἐσθλῆς ὁμοδεμνίου ἄξιός ἐστι.
Καὶ γὰρ ὅμοιον ἀεὶ ἡδὺ ὁμοίῳ ἔφυ.
Νῦν ἔῤῥωσο ἐμῶν Λάμβερτε φέριστε ἑταίρων,
Αὖτε Ἰωάννην τόν σε φιλοῦντα φίλει.
Δηρὸν εὐζώειν σε δόῃ καὶ ἄκοιτιν ἰησοῦς,
Καὶ παῖδας παίδων εὐφροσύνως ἰδέειν.

In nuptias M. Lamberti Pithopœi, δεκάστιχον.

Νοῦς ὁ θεὸς καθαρὸς καὶ ἀμύμων ἐστὶ, ἁγνούς τε
Ἐκ κραδίαις ἁγναῖς φραδμοσύνῃσι φιλεῖ.
Σχετλίαι οἷς δὲ φρένες συγχρῷ μεμόλυνται ἔρωτι,
Τιμωρεῖθ' ὁ πατὴρ πάντας ὑπερφιάλους.
Οἶσθα Τομωῤῥαίων ὄλεθρον, πᾶσίν τε Σοδόμων,
Πῶς Θῆβαι καὶ πῶς Πέργαμα ἱρὰ πέσον.
Ἔῤῥετε δ' οὖν μόναχοι θεῖον γένος ὥσγε καλεῖσθε
Αἴσχροι, παρθενίην ψευδόμενοι ἱερήν.
Ἐστὲ πολυπλανέες νυκτὸς καὶ ἐστὲ ἀσελγεῖς
Ζητοῦντες λάθρη μοίχικα λέκτρα κακοί.

Κυρίδιον δὲ λέχος πολὺ βέλτιον, οὐδ᾽ ἀσεβείας
  Μεστὸν, μαχλοσύνη ἐστὶ δὲ δυσσεβέων,
Εὖ ἄρα σοι ἁπαλὴν Λάμβερτ᾽ ἐκλέξαο κούρην
  Τιμῶν ἁγνείαν δέσματε συζυγίης.
Νυμφίε πιερίδων καὶ περ κοσμημένε δώροις·
  Χαῖρε, φίλος νύμφη. χαῖρε θεῶτε φίλος.
Σοὶ δὲ θεὸς τόσα δοίη ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς,
  Ἔστω σοὶ ὅστις πάμμακαρ ἐστὶ γάμος:
Παρθενικὴ σε πόσιν φιλέοι, κούρην δὲ φιλοῖς σύ,
  Ὕμμιν ὁμοφροσύνη εὐσεβίη τε θάλοι.

Roſtochij, anno M. D. L X. Ioſephus Vvurtzlerus ſcribebat.

Pithopœo ſuo Oridryus.

L audes, vir erudite, quantas dixerit
A ntiquitas ſemper pio connubio;
M aláſque vt imprecata ſit diras vagæ,
B eatitatis obici, libidini;
E iúſque vt auctor, vt patronus ille ſit.
R erum creator omnium ter maximus;
T acitúſque vindex peſtis vt ſit alterius,
V elim docere ſi virum doctiſſimum,
S us nónne verè Palladem, quod dicitur?
P ium ergo plurimi viri rectè tuum
I ntelligentes inſtitutum prædicant;
T ibi tàm honeſtam quòd puellam iunxeris,
H uiúſce vitæ læta tecum quæ exigat

Omnes

O mnes dies. O te victorem nimiù
P rofectò felicem, cui diuinitùs
O dore tam fragrante vaſculum eſt datum
E t colligandum & obſtruendum ſedulò.
V t ergo ſuccò dum repletur viuido
S ubinde, ne ſuauis effluat latex,
Stipa, liga, farci tuum benè vaſculum
Pithopœe. Sic ſic intumeſcet ſæpiùs.

Ἔῤῥωσό σου μνησθεὶς ἀεὶ Ὀειδρύν.

Pſalmus 128. Beati omnes, qui timent Dominum &c. in honorẽ nuptiarum M. Lamberti Pithopœi & Adelheidæ Chriſtophoræ, heroicis verſibus redditus à Gerardo ab Achtefeldt Amersfordienſi.

Felix ille animi, totóque ex aſſe beatùs,
Qui Dominum puro reueretur pectore, & eius
Noctes atque dies ſecùm decreta reuoluit,
Nec veri anguſto malè ſuaſus tramite aberrat.
Felix, & ſemper cedent tibi proſpera cuncta,
Et nihil aduerſi, nihil experiêris amari.
Nam proprio comedes tranquillus parta labore,
Omnem illi mandans curam arbitriúmque futuri,
Omnia qui paſcit rerum ſator, omnia curat.
Vxor multiplici fundet tibi gaudia prole,

Ceu longè & latè quæ ſpargens brachia vitis,
Lætitiæ humorem generoſo in palmite gignit.
Iucundo at nati menſam circùm agmine cingent,
Vbere pubeſcunt oleæ vt plantaria in horto.
Tàm fortunatus tanta inter commoda deget,
Qui Dominum puro reueretur pectore, & alta
Noctes atque dies legem eius mente reuoluit.
Tàm fortunabit celſa te ex arce Sionis
Larga manus Domini, varijs vt dotibus auctam
Florere adſpicias Solymam, dum vita manebit,
Et natos natorum, & qui naſcentur ab illis,
Iſraelitis ducentibus otia pacis.

Amersfordiæ, anno 1560.

Pro felici omine coniugij M. Lamberti Pithopœi & Adelheidæ Chriſtophoræ, hendecaſyllabum Gerardi Pontani.

Paſſim verſiculis tuum poëtæ
Ornent cùm thalamum celebriores,
Qui magna licet eruditione
Me longè ſuperant, amore ſummo
Illis nil tamen ipſe cedo, cuiquam
Nec cedam, doleo, is mihi à Camœnis,
Quas nunc experior nimis ſeueras,
Quæ quondam faciles ſatis fuerunt,
Dignum vt laude aliquid canam, negari.

Verùm,

Verùm, dum mihi non datur, politis
Ornem verſibus vt torum iugalem,
Bonum non poteris meum profectò
Non laudare animum, meúmque velle,
Prorsùs nec puto nuptijs repelles
Ornatos tenui toga Phalecos,
Inter qui minimos, locum petentes,
Donec paucula dixerint, ad aurem
Admitti cupiunt tuam benignè.

Felix coniugium, nouo Gerardus
Pontanus tuus, optimum precatur
Aeternúmque Deum, tibi marito
Ac fauſtum velit eſſe, cuius ipſe
Auctor cùm ſit, amétque caſtitatem,
Conſeruare manu ſua id potenti
Nunquam deſinet: impij tyranni
Quamuis legibus impijs (libido
Cordi fœda quibus, parúmque caſti
Placent concubitus, abominandum
Quo nil eſſe poteſt, magı́sque turpe)
Interdicere plurimis priori
Auſi tempore ſint, adhuc & auſint
Pijs coniugio pio, locóque
Illius, ſtabilire cœlibatum,
Impunè vt Veneri litent nefanda.
Quapropter Deus ipſe ciuitates,
Et gentes varias potentiores
Deleuit. Sodoma id probat, nocentes

Et Thebæ, Sibariſque, filiarum
Et clades Scedaſi ſecuta ſtupra.
Sed quid perſequor iſta copiosè,
Cùm ſint hiſtoriæ ſacræ, profanæ,
Pœnarum varijs atrociorum
Exemplis (miſerùm) ſatis refertæ?
Quare conuenienter ipſe legi
Feciſti Domini Dei ſacratæ,
Ducendo lepidam, piam puellam,
Vxorem, fugiatur vt libidò
Effrenata furens, & hanc ſequentes
Pœnæ, quod decet vt tuum ſequantur
Factum, quotquot amant decus pudoris
Caſti, coniugium probántque ſanctum.
Felix, ò nimiùm puella felix
Tali coniuge, qui fidem tot antè
Annis quam dederat, tibi vſque & vſque
Seruauit, modò eámque liberauit.
Felix, ò nimiùm puella felix
Tali coniuge qui Deum veretur,
Et ſanctè colit vnicum, nec vlli
Hunc præter tribuit ſacros honores.
Felix, ò nimiùm puella felix
Tali coniuge, qui tibi, tuíſque,
Et quondam patriæ decus parabit
Immortale, licet calumniantum
Hunc præter meritum premat caterua.
O Lamberte minùs nec ipſe felix

Tali

Tali coniuge,tàm pia,pudica,
Tàm forma egregia,decentibúsque
Culta moribus,atque perpolita,
Quos gemmis meritò antefers & auro.
Hæc nomen gerit ominis profectò
Cognoménque ſimul boni.Pelaſgis
Adelheida etenim eſt vel εὐγένεια,
Vel,quod non quoque diſplicet quibuſdam,
Ἀλήθεια,& hæc monet,loquaris
Vt ſemper,ſtudeáſque veritatem,
Quæ miris premitur modis,iuuare.
Viuas innumerabiles per annos
Felix,coniuge cum tua pudica,
Fortunétque tuos Deus labores,
Quos ſumis,ſtudia vt iuues ſcholarum,
Et Lamberte tui memor Gerardi,
Viuas innumerabiles per annos.

Dauentriæ,anno 1560.

Doctiſſimo viro,M.Lamberto Pithopœo,optat felix & fœcundum coniugium M. Leuinus Battus Gandauenſis.

O quater & plus quàm liceat numerare,beatum,
Corpore cui præſtans & pia nupta datur,
Quam caſti exornant mores,quæ ſedula ſponſo
Coniugij præſtat tempora læta ſuo,

Quæ ſibi commiſſas curat feliciter ædes,
Educat & natos in pietate ſuos.
Eſt equidem talis pretioſum fœmina donum,
Sed datur hæc ſolo contribuente Deo.
Siue ſit ille quidem longè ditiſsimus agris,
Et teneat largas fœnore diues opes,
Siue ſit hic inopi longè infelicior Iro,
Solamen præſens attamen inde petit.
Nil ſub Sole bona maius, nil gratius vſquam
Coniuge, nil melius totus hic orbis habet.
Lætitiæ dulcis comes eſt, comes illa doloris
Illa ſenectutis mite leuamen habet.
Talibus exornata bonis Adelheida relucet,
Eſt coniuncta tuo quæ Pithopœe toro.
Iſta legens igitur tacita cape gaudia mente,
Talis in amplexus quòd tibi ſponſa venit,
Quæ varijs animum & gratis virtutibus ornat,
Quæ caſtos oculos, pectora ſancta gerit.
Nomina prima cui gratum quia fecit ἀληθὲς
(Nominibus certè ſæpiùs omen ineſt)
Pectore conſtanti redama, complectere ἀληθὲς,
Fortiter & ceptam continuato viam.
Ne frangare minis, technísque dolísque Papatus,
Vnica cui ventrem paſcere curá ſubeſt.
Noſtra viros multos fouet hæc Academia doctos,
Hoſpitium ſtudijs offeret illa tuis.
Nam decus excellens & maior laude Chytræus
Deſertas nunquam res ſinet eſſe tuas.

Omnia

Omnia tentabit tua prorſus cura Bocerus,
Vt res Lamberti ſint meliore loco.
Hoc aget eloquio clarus Burenius ipſum,
Cuius ab ore, graui ſermo lepore fluit.
Tempore, quod ſupereſt, longo, cum coniuge felix
Viue, ſit in veſtro nulla querela toro.
Pignora coniugij fauſtè Deus addat, & iſtos
Verſiculos noſtri pignus amoris habe.

Epigramma Nathanis Chytræi in nuptias M. Lamberti Pithopœi.

Eſt mens caſta Deus, fœdaque libidinis oſor,
Et ſimiles cunctos nos iubet eſſe ſibi.
Ac ideò ſocij ſanciuit fœdera lecti,
Semper & hac omni vult ratione coli.
Coniugiíque decus caſti, ſanctúmque pudorem,
Et iunctos licito curat amátque toro,
Vt videant homines caſto ſibi caſta placere,
Et caſtas tantùm pondus habere preces.
Ergo verecundam laudâris iure puellam
Duxiſti in thalamos quòd Pithopœe tuos,
Qua cum Neſtoreos viuas feliciter annos,
Et videas ſocij pignora læta tori,
Pignora, quæ celebrare Deum poſt fata parentum,
Et poſſint ſummo dicere grata Deo.
Cúmq; Adelheida tuæ ſit nomen amabile ſponſæ
Chriſtophora, optatum nomen id omen habet.

Nam tibi, cœleſti quòd nobile munus ab arce
Venerit in thalamos virgo pudica, monet;
Vel quòd ἀληθείας *nomen ſibi vendicat, omnem*
Quæ fucum vero pectore cauta fugit:
Te ſincera iubet ſtudio ſeruare fideli
Dogmata, nec falſam fraudis inire viam.
Vtque animo forti, magnóque pericula corde
Omnia pro vera relligione feras,
Te iam dicta monent cara cognomina ſponſæ,
Quæ renouanda tibi ſæpiùs eſſe reor.
Chriſtophorus medijs Chriſtum fert arduus vndis,
Et patitur vaſti mille pericla maris.
Aetherij ſic ſacra ferens myſteria verbi,
Atque docens animos de pietate rudes,
Ferre minas, odiúmque, graues & cogitur iras,
Et vagus exſulij triſte ſubire iugum.
Hæc tibi cùm primo contingant flore iuuentæ,
Fortiter aduerſas fer Pithopœe vices.
Roſtochiana tibi lætas Academia ſedes
Offeret, & ſtudijs otia grata tuis,
Vexantésque leui momento corda dolores
Pondera lætitiæ non peritura ferent.
Hos te verſiculos, veteris Chytræus amoris,
Et fidei pignus iuſſit habere ſuæ.

Roſtochij, anno 1560.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, *D.Ludouico VII, Comiti Palatino ad Renum, Duci Bauariæ &c. S.R.I. Archidapifero & Septemuiro Electori, domino & patrono meo clementiſsimo.*

ILluſtriſsime Princeps, Domine clementiſsime, Patrone ſumma animi demiſsione ac reuerentia mihi colende, a. d. III. Nonas Maias cùm C.T. conſiliarius, vir generis nobilitate, virtute ac doctrina præſtans, D. Sebaſtianus Mendell à Steinfelſs, C. T. mandatum de conſcribendis à me breuibus quibuſdã epigrammatis, ad certa loca C.T. horti ſuburbani affigendis, mihi expoſuiſſet, ego, vt debui, relictis rebus omnibus, ſtatim, quanto potui maximo ſtudio & animi contentione in eam incubui curã, vt, quoad eius à me fieri poſſet, efficerem, vt C. T. intelligeret ac reipſa experiretur, mihi nihil neque gratius, neque iucundius accidere poſſe, quàm ſi occaſio & facultas mihi offeratur, qua C. T. teſtatum faciam, me huic C.T. mandato & libentiſsimè nunc obtemperauiſſe, & deinceps etiam alijs in rebus,

quæ quidem à me præſtari poſsint, C.T. gratificandi eſſe & fore ſtudioſiſsimum. Offero itaque C.T hęc à me ex C.T. mandato conſcripta epigrãmata, tanquã tenuem quandam συμβολὴν à me pro mea tenuitate ad Illuſtriſsimæ Principis ac Heroinæ D. Mariæ &c. C.T. filiæ dilectiſsimæ, nuptias condecorandas collatam, ſimúlque C.T. ſubmiſsiſsimè oro, vt pro ſua clemẽtia, hęc, qualiacúnque ſunt, boni conſulere, & in optimam partem accipere dignetur. Quod ſi, vt ſpero, à C.T. impetrauero, ad priora C.T. erga me beneficia, quæ ex C.T. commemoranda munificentia in hãc vſq; horam percepi, & etiamnum percipio plurima & ampliſsima, accedet hic quaſi cumulus, & hoc ipſo C.T. me ſibi in poſterum quoque magis deuinciet & obligabit. Sunt quidem, fateor, hæc epigrammata munuſculum tenue admodùm & leuidenſe, & vix vllo habendum numero, confido tamen, C.T. pro eximia ſua ſapientia & manſuetudine, cogitantem ſecum, οὐκ ἄνευ σμικρῶν τοὺς μεγάλους, ὥς φασὶν οἱ λιθολόγοι, λίθους εὖ κεῖσθαι, ea non prorſùs aſpernaturã. Precor optóque C,T. à Deo Optimo Maximo, fonte & auctore omnis boni vnico, vitam diuturnam & lætam, valetudinem proſperam ac conſtantem, & di-

tionum

tionum C.T. felicem & tranquillam gubernationem, & C. T. fidei ac patrocinio, me meóſq; quàm poſſum humilimè commendo ac cõmitto. Dat. Eitelbergæ, ex meo Muſeo, IIX. eidus Maias, anno à nato Chriſto, Deo & Seruatore noſtro, CIↃ.IↃ. LXXIX.

Celſitudinem tuam ſumma animi demiſſione ac reuerentia colens.

Lambertus Pithopæus in C.T. Academia profeſſor.

Ad latus horti Notium.

Hunc Ducis eximij quicúnque admiſſus in hortum,
Naturæ varium cernis & artis opus,
Floribus omnigenis & ſuaue nitentibus herbis
Paſce animum, nares, lumina paſce tua.
Mox tamen à rebus ſtudium deflecte creatis,
Auctorémque ipſum ſuſpice mente Deum
Inde pio ſanctum faciens pro Principe votum,
Diſce piè Chriſto viuere, diſce mori.

Haſperium.

Dum flores croceis, hoſpes, odoribus
Fragranteis, tenero pollice demetis,

Herbarum varijs dúmque coloribus
Oblectans oculos, gaudia percipis;
In mentem veniat, fac, tibi gaudij
Cœleſtis, proprio ſanguine quod ſuis
Chriſtus, perdomita morte, fidelibus
Acquiſiuit, & huc tendito ſedulus.

Boréum.

Qui manat vitrea perennis vnda,
Occulto ſaliens procul meatu,
Sumtu Magnifici Ducis, manúque
Sagace artificis paratus, ille
Te fons admoneat, benigne lector,
Aqua de meliore comparanda,
In vitam ſaliente ſempiternam,
Quam bibens poterit ſitire nunquam.

Eoum.

Beatus ille, qui procul terroribus
Mundi, viator candide,
Pulſis, Dei potente fretus dextera,
Bonáque conſcientia,
Noctes diésque mente verſat integra
Verbum illius ſanctiſſimum,
Vita ſequens in omnibus negotijs
Hoc, ceu fidelem regulam.

ECLO-

ECLOGA

In nuptias

AMPLISSIMI VIRI, GENERIS NOBILITATEM pietate, ſapientia, humanitate & doctrina exornantis, D. PHILIPPI VVAMBOLDI ab VMSTAT, Illuſtriſsimo Principi & Domino, D. IOHANNI CASIMIRO, Comiti Palatino ad Renum, & Electoralis ad Renũ Palatinatus Tutori & Adminiſtratori, Duci Bauariæ &c. ab intimis conſilijs, & Neapoli Nemetũ Legati, Et nobiliſsimæ lectiſſimæq; virginis ANNAE MARIAE à SICKINGEN, in arce NANSTEIN, 16 Kalendas Aprileis anni 1584 celebratas.

MELIBOEVS, TITYRVS, PALAEMO.

TITYRE *vitiferis Nemetum ſeceſsibus errans,* Me.
Quà celeres tremulis auratas Speira ſub vndis

Occulit, & bifido fœcundat gurgite campos,
Quid tacitus triſteis iteras in pectore queſtus,
Et procul incertis teneras in finibus agnas
Negligis, ignaráſque viæ, inſuetáſque laborum?

T. *O Melibœë, noui quænam tibi cauſſa vigoris?*
Quæ te fata, quis has nitida te caſus in oras
Fronte tulit, macie tandem poſitóque dolore?
Dic; quæ tanta fuit veteres tibi cura colonos
Viſendi, extorres patria, expertéſque bonorum,
Quîs humana ſibi luget natura negatis?

M. *Linque graueis tandem gemitus, curíſque relictis,*
Hoc mecum patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Heu nimio fractos artus mentémque labore,
Vt quondam, tenui recrea pauliſper auena,
Formoſámque doce ſiluas reſonare puellam,
Tityre, quæ noſtro nubit noua ſponſa patrono.

T. *Iam mea per multas, Melibœë, quieuit ariſtas*
Fiſtula, nec libuit calamo triuiſſe labellum.
Haud equidem ignota eſt noſtri tibi cauſſa doloris.
Namq; (fatebor enim) poſt mortem ſede receptus
Aetherea Damon nobis ſtudium omne canendi
Abſtulit, antiqua propè nota cacumina quercus.

M. *Tityre, ſat longo Damonis triſtia noſtri*
Hactenus & merito decoraſti funera luctu.
Sat lacrymis buſtoque datum; iam tranſijt atræ
Horrida tempeſtas hiemis, ſæuæque procellæ.
Diffugêre niues campis, iam gramina pratis,
Arboribúſque comæ, blandùm ſpirantibus auris,

Iam

Iam redeunt, notos aprica ciconia nidos
En repetit, veterem ranæ ſine fine querelam
In tepido renouant certatim, Tityre, limo,
Atque renaſcentem luſtrat Sol altior orbem.
Ergo age depoſito repetamus gaudia luctu,
Permittit nobis præſens noua gaudia tempus,
Cantemúsque nouo grati noua carmina ſponſo,
Cantemúsque nouæ læti noua carmina ſponſæ.
Ipſe nouas etiam circum præcordia vireis, T.
Dum canis, in veteres mihi ſurgere ſentio cantus.
Incipe; tu melior calamos, Melibœë, ſonoros
Inflare, has inter corylos ſub montibus iſtis,
Torrentis vitreas placidè proiectus ad vndas,
Agmine vicinam qui leni interluit vrbem,
Auſus es arguto paſtor certare poëtæ,
Viſus & argutum nuper ſuperare poëtam
Cantando, cunctis circùm plaudentibus agris.
Incipe; noſtra tuæ ſuccedet fiſtula Muſæ,
Stridulus argutum comitabitur anſer olorem,
Et rude ſilueſtri depromet arundine carmen.
Alternis thalamo faciamus vota iugali:
Alternis gaudent habitantes rure Camœnæ.
Sed priùs, vnde nouus vigor hic, ediſſere nobis,
Vnde nitor vultus, vnde hic in carmina feruor,
Quàm noua, próq; nouo modulemur carmina ſponſo.
Libertas, gratóque ferens mihi copia cornu, M.
Quîs humana ſibi gaudet natura tributis,
Hunc mihi, quem cernis, cultum, vultúsque nitorem

Reddidit, atq; nouas neglecta in carmina vireis.
Hæc me ſera, tamen tandem reſpexit egentem,
Adrepſit poſtquàm non obſeruata ſenectus,
Iámque caput cani velant mentúmque capilli,
Et ſolitæ ſenſim pereunt in corpore vires.
Nam mihi, dum notis furerent in montibus vrſi,
Atque necem ſæuis minitantes dentibus apri,
Nec ſpes libertatis erat, nec copia rerum,
Quîs ſine commiſſas in paſcua nota capellas
Tranquillo nunquam deducit pectore paſtor,
Sed procul incultis palantes linquit in agris,
Nec potum miſeris, nec debita pabula præbens.
Nos niſi reſpexet vultu ſors verſa benigno,
Hanc etiam, quam me cernis, vix ducere matrem,
Spem gregis, enixam fœtus iuuenilibus annis
Ter trinos, Fleui & ſacri propè flumina Nicri,
Quo mihi de numero nūc tantùm quinq; ſuperſunt,
Spes niſi me fallit, bis bini hœdi, vna capella,
In vacuis ægram liquiſſem, Tityre, ſiluis,
Concuſſáque, fami quæſiſſem prandia, quercu,
Aut etiam, moriens morientis lumina mœſtis
Compreſſem digitis, buſtóque repoſtus eodem,
Deſertos aſpris liquiſſem in ſentibus hœdos.
At noua nunc rerum facies, cum matre, capella,
Et ſaturæ redeunt tutis de collibus hœdi,
Quos inter ſtipula, diuino munere rurſum,
Vt priùs, hac tenui pergo deperdere carmen,
Et veteres mœſto pellens de pectore curas,

Hunc

Hunc ad te redeo, quod cernis, lætus in agrum. T.
Fortunate ſenex, ergo hîc ad flumina nota,
Poſt aliquot tua regna videns gaudebis ariſtas,
Aſſuetáſque inter corylos captabis opacum
Frigus, & optatos in molli gramine ſomnos,
Dumoſáque tuas procul hinc de rupe capellas
Pendentes, viridi cernes porrectus in vmbra,
Irritans tremulo ſilueſtres carmine Muſas,
Vt latè in ſiluis percuſſa reſultet imago,
Et vicina crepet, ripis gaudentibus, vnda,
Donec clara polo producat lumina veſper,
Et læto notas repetentes agmine caulas,
Decedant celſis tecum de montibus agnæ.
Sed ſimul hac quoniam vacui requieſcimus vmbra,
Nec procul hinc, tuto paſcuntur colle capellæ,
Quis, Melibœë, Deus, tanti tibi muneris autor,
Dic age, quò toto clarus celebretur in orbe,
Et canat alternis etiam mea fiſtula, tanti
Muneris autorem, hæc qui nobis otia fecit,
Inuida crudeli rumpantur vt ilia Codro,
Viciniſque fremant ſæui ſub montibus vrſi,
Et fera terribiles acuant in prælia tigres.
Crede mihi, paruis licet, hinc ab ouilibus agnus,
Illius crebrò ſacra luce imbuet aras.
Hoc etiam fagi tam carum cortice nomen
Ipſe mea gratus tentabo incidere dextra,
Firmiter vt ſeros clarum perduret in annos,
Et patuli nota ſuccreſcant arbore rami.

M. *Tityre, quē quæris, Deus, eſt virtute* PHILIPPVS
VVAMBOLDVS *meritíſque hinc vſq; ad ſidera notus,*
Principe Magnanimo CASIMIRO *ſceptra tenente*
Fraterna, his fidus Nemetum legatus in oris.
Ille meas, rabidu fruſtrà indignantibus vrſis,
Herboſis tutas errare in montibus agnas,
Et multo lætas diſtendere lacte capellas
Vbera, laſciuóſque inter ſe cornibus hœdos
Certare, & fortes meditari prælia tauros
Formoſam propter, quæ paſcit ſola, iuuencam,
Et mihi diducta ſecurè in valle cubanti
Dat rude ſilueſtri depromere carmen auena,
Has gelidi vitreas Nemetum torrentis ad vndas,
Excolit ingenuas vbi parua Neapolis artes,
Et decorat noſtros doctis ſudoribus agros.
Idem Panoria nuper de ſede reuertens,
(Hîc vbi Magnanimi CASIMIRI *Principis aulā*
Conſilijs & iuſtitia & pietate gubernat,
Sedulus & veros templis inſtaurat honores,
Atque Palatinos antiquis moribus agros
Informans, populo prudens dat iura volenti)
Romanúmque regit iuſtis quæ legibus orbem,
Vrbem fortè intrans claro cognomine Spiram,
Debita dum caro promit ſolatia fratri
EBRARTO, *amiſſa grauiter de coniuge, mœſto,*
Depoſitis tandem curis, longóque dolore,

Mori-

Moribus & pulcro præſtantem corpore nympham
ANNAM SICKINGA MARIAM *de ſtirpe*
Aſpiciens, ſenſit veteres in pectore flãmas, (*creatã*
Et ſecum blando ſic fatur captus amore;
TV MIHI SOLA PLACES, EADEM
MIHI SOLA PLACEBIS,
Dum tibi, dúmque mihi reget iſtos ſpiritus artus,
O virgo; ceptis adſint pia numina noſtris.
Nec mora, conſpectã iã ſpe ſibi præcipit ANNAM,
Caſtáque ſollicitum pertentant gaudia pectus.
Mox nymphæ patruum verbis cõpellat amicis (*tis*
REINHARTVM (*eximiũ decus hic et gloria gẽ-*
SICKINGAE, *Imperij ſummũ auguſtúmq; tri-*
Romani, magnis clarus virtutibus ornat, (*bunal*
Prudentíque graueis decidit pectore cauſſas,
Quà rapido Spiram defendit gurgite Renus)
Et caſto blandæ ſuccenſus amore puellæ,
Legitimo thalami petit hanc ſibi fœdere ſponſam.
Ille pio aſſenſus voto, nec multa moratus,
Quam petis, ANNA *tua eſt, ait, et cõnubia firmat.*
ANNA *quoq; inſuetas confeſtim pectore flammas*
Senſit, & ingenuo vultum ſuffuſa pudore,
Quẽ mihi das, inquit, VVAMBOLDVM, *patrue,*
Imperijs edocta tuis parere paternis, (*ſponſum,*
Accipio; ceptis adſint pia numina noſtris.
Pacta placent ſuperis; cœli clementior aura,
Et puro terras colluſtrans lumine Phœbus
Promittunt ſponſo & thalami bona tempora ſponſæ.

Sic igitur pulcra iam rurſus virgine lætum,
Tityre, VV AMBOLDVM *noſtris Deus appulit oris.*
Et nunc omnis ager, nunc omnes vndique ſiluæ,
Omnes nunc montes, fontes, vallésque reductæ
Sponſam ANNAM *læto* MARIAM *clamore ſalutant,*
Et ſponſum grata VV AMBOLDVM *voce* PHILIPPVM.

T. *Fortunati ambo, ſi quod, Melibœē, valebit*
Hæc mea, pingue licet, deducere fiſtula carmen,
ANNAM *omnes* MARIAM *ſpōſam ſponsúmq;* *Philippum*
VV AMBOLDVM *læto reſonabunt murmure ſiluæ.*
Ille ſacras triſti turbatas ſorte Camœnas,
Diruta cùm raperent ſata læta boúmque labores,
Terribiles patulis roſtris & dentibus apri,
Reſpexit iuuítque benigna fronte gementes,
Atque nouas profugis ſedes alimentáque præbens,
Præſidio & iuſſu, noſtros qui ſceptra per agros
Dux gerit, & dextro CASIMIRVS *numine regnat,*
Hîc ſolitas fecit renouare in carmina vireis,
Et doctas iterum tractare fideliter arteis,
Vt priùs, & totum, fruſtrà ringentibus apris,
Dogmata vera nouis per mundum ſpargere libris.
Ille meis etiam, Nicri de rupe capellis

Anti-

Antiqua immeritò pulſis,vbi noſtra per annos
Ter ſenos,vndis Latio de fonte petitis
Commiſſas potârat oues,licet arida,Muſa,
Perfugium dedit hîc miſeris,gratámque receptas
In caulam,verbis vultúque refecit amico,
Déque via laſſas in paſcua læta reduxit,
Méque meum in notos hilari deducere monteis
Iußit fronte gregem,ſiluáſque has inter opacas:
Carmina,quæ vellem,tenui permiſit auena
Ludere ſecurum,& triſteis deponere curas,
Atque etiam ſera tutum decedere nocte.
Idem hic,depaſtis cùm nuper gramina campis
Deficerent,hæc & victum mihi ſilua negaret,
Bis binos cum matre hœdos,vnáque capella
Qui ſaluos placitis his paſcere poſſet in agris,
Et premeret duris vrgens me rebus egeſtas,
Munifica promtus dextra,vultúque ſereno,
Optato vacuam mihi fulcijt ære crumenam,
Addidit & farris cumulum, Bacchíque liquorem,
Dulcia ieiunis reddent ſolamina Muſis.
Ergo erit hic nobis.ſuperat dum vita,patronus,
Noſtra quoque,illius reſonabit fiſtula laudes,
Et paruum fœtura gregem ſi ſuppleat,aras
Sæpè huius,noſtris ab ouilibus imbuet agnus.
Quare age,iam pulcra noſtrùm,Melibœë,beatum
Virgine patronum grato celebremus honore,
Argutáque ſub hac quoniam conſedimus ambo
Nunc fago, agreſtem modulemur arundine Muſam

Exili, vt latè curuis in vallibus Echo
Sponſam ANNAM MARIAM *reſonet, ſponſúmque* PHILIPPVM.
Incipe; noſtra tua ſuccedet fiſtula Muſa.

M. *Vos ſacri montes, tu parua Neapolis, atro*
Gaudia depoſito nobiſcum carpite luctu;
ANNA *datur* MARIA *hîc* VVAMBOLDO *ſponſa* PHILIPPO,
Iámque diu ſponſi ſopitam in pectore flammam
Excitat, & caſto ſpondet pia gaudia vultu.
Fortunata ter & quater, ò lectiſſima virgo,
Hoc dignata bono, tali ſocianda marito.
Quale vigent, humiles inter procera myricas
Quercus & aeriæ frondoſa cacumina fagi,
Sponſe Palatinos inter VVAMBOLDE, *potentes*
Conſpiceris proceres, famam virtutibus augens.
Ille Palatinæ decus & noua gloria gentis,
Iuſtitia & pietate potens FRIDERICVS *& armis*
Tertius, Elector ſeptemuir & inclytus heros
Romani Imperij, & regno LVDOVICVS *auito*
Septimus Elector, patri ſucceſſor & heres
Legitimus, qui nunc Chriſto cœlóque fruuntur,
Et meliore ſimul læti verſantur in aula,
Quid tua, ſenſerunt, VVAMBOLDE, *induſtria poſſit,*
Quæ tua ſit pietas, quæ ſit conſtantia, quantus
Relligionis amor veræ, quæ rebus agendis

Sæpè fides ſpectata, & quæ tibi cura ſalutis
Communis, iuſti ſtudium quantúmque ſit æqui,
Quæ grauitas, quæ ſit magnis prudentia cauſsis;
Sentit idem, qui nunc felici ſidere Princeps
Magnanimus Reni IANVS CASIMIRVS *ad vndas*
(Dij patrij & noſtris præſentia numina ſiluis,
Hunc nobis ſeruate Ducem, ſeruate Patronum,
Longæui vt felix attingat Neſtoris annos,
Illiúsque patrocinio clementéque dextra
Nos tuti ſaluas in paſcua grata capellas
Ducamus, gratésque pio concorditer ore
Cantemus cœli Domino terræque potenti,
His illum nuper ſaluum qui reddidit agris)
Tradita, SINCERE & CONSTANTER *ſceptra tuetur,*
Et patrias ſancta terras in pace gubernat.
O gaude tali virgo dilecta marito.
Fortunate ter & quater, ò ampliſsime Sponſe,
Hoc dignate bono, talis cui ducitur vxor.
Quale nitent, igneis inter vaga Luna minores,
Aera cùm pleno colluſtrans cernitur orbe,
Et caput attollens Eoo Lucifer axe
Conſpicuum, miſeri lucem mortalibus æui,
Diſcuſsis referens tenebris, ſolitósque labores,
Sponſa Palatinas inter lectiſsima nymphas
ANNA *ſuo* MARIA *affulget* SICKINGA PHILIPPO,

Maiorem inſpirans paullatim neſcia flammam,
Séque verecundis ſponſo commendat ocellis,
Aetatem, genus, & formam virtutibus augens.
A teneris genitor pietate GEORGIVS *annis*
Imbuit ingenium vera GVLIELMVS, *& alto*
BARBARA VOGTINO *mater de ſanguine nata,*
Rupis HONOLSTEINAE *veteri cognomine clara,*
Artibus & ſtudijs maturè prouida cunctis,
Quæ deceant claris nympham maioribus ortam
Erudijt, caſtos inſtillans ſedula mores.
Poſtea, cùm primo caros in flore iuuentæ
Mors huic heu nimiùm raperet properata parentes,
Strennuus & fortis rebus REINHARTVS *agendis,*
Romani Imperij quà ſummum Spiræ tribunal
Defendens, æqua diſceptat lance reorum
Lites, Cæſareis componens legibus orbem,
Patruus acceptam propriæ penetralibus aulæ,
Eduxit vigili cura ſtudióque fideli,
Et teneram patrio neptem complexus amore
Edocuit, quæ cura domus, qui cultus habendæ
Sit ſoboli, quæ ſint laudata munia matris,
Donec ter ſenis virgo iam nubilis annis
Traditur ANNA *ſuo* VVAMBOLDO *ſponſa* PHILIPPO
In thalamum, patrui auſpicijs, & numine dextro,

Sic

Sic reliquas inter lucens lectiſſima nymphas,
Candida purpureis qualem dant ſæpe colorem
Lilia mixta roſis, Parium vel ſanguine tingat
Si quis ebur modico, vel corna rubentia lacti,
Vel mora infundat, vel humi repentia fraga.
O gaude tali felix VV AMBOLDE *puella.*
Fortunata ter & quater ò lectiſſima virgo, M.
Hoc dignata bono, tali ſocianda marito.
Forma quidem neglecta viros decet, attamen omnis
Eſſe ſolet pulcro veniens in corpore virtus
Gratior, & ſenſim menteis oculóſque tuendo
Ducere ſpectantum, tacitáque perurere flamma.
O nimiùm dilecta Deo, quam ſidere dextro
In thalamos, animo præſtans & corpore ſponſus
Ducit, & optàto iungit ſibi fœdere ſponſam;
Excelſæ tantum decus eſt & gratia frontis,
Dignáque Magnanimi Legato Principis, omni
Ex vultu iuncta elucens grauitate venuſtas.
Stant & adhuc ſolidæ robuſto in corpore vires,
Et iuſtus membris vigor atque in ſanguine feruor,
Militiam & graue Martis onus, duróſque labores
In caſtris, quando res poſtulat arma, parato
Ferre, atque aduerſos immittere pectus in hoſtes.
Quid memorem, varijs quanta experientia rebus
Parta ſit, vt terris olim iactatus & alto,
Quàm mores hominum multorum & viderit vrbeis,
Quà redit Eois, quà præceps mergitur vndis
Heſperijs, totum luſtrans Sol aureus orbem?

Quid multas vno commendem in pectore dotes,
Ingenuas annis hauſtas iuuenilibus arteis,
Et varia externis linguarum idiomata terris
Percepta ingenti ſumtu ingentíque labore,
Innumeros inter caſus, vitæque pericla;
Copia doctrinæ, quantum ſit mentis acumen,
Quanta ſit hiſtoriæ, ſacríque ſcientia iuris,
Conſiliíſque fides, & magnis ſæpè ſecandis
Dexteritas rebus, celeréſque in pectore motus,
Quanta ſit in verbis & quæ conſtantia factis?
Quid multis? vno, quæ dixi, iugiter ore
Celſa Palatini teſtatur Principis aula,
Et cunctas Reni volitat quæ fama per vrbeis.
O gaude tali virgo dilecta marito.
Sed priùs occiduis nitidum caput occulet vndis,
Claráque per totum monſtrabit ſidera cœlum,
Sol abiens, feráque domum de nocte capellæ
Diſtentæ multo properabunt vbera lacte,
Quàm genus & proauos, longóque ex ordine gentis
VVAMBOLDAE *proceres & auitæ ſtirpis hono-*
Noſtra queat tenui percurrere fiſtula cantu. *(res*
Longa nimis generis ſeries, nimis alta propago.
Ergo ſumma ſequar tantùm faſtigia rerum.
Eſt VVAMBOLDVS *auus magna virtute*
PHILIPPVS;
Ducitur huic animo præſtans & moribus vxor
MARGARIS, *antiquo* DVRNAE *de ſangui-*
ne gentis.

Inde

Inde ſuum claris dignus maioribus ortum
Ducit,& eximijs atauorum laudibus auctus,
Ipſe etiam propria patrios virtute penates
Condecorat,veteréſque nouis illuſtrat honores
VVOLFGANGVS, *pater*, ANNA, *tui lectiſ-*
ſima ſponſi,
Præſidium,decus,& VVAMBOLDAE *gloria*
gentis.
Hunc pia vitaleis genitrix produxit in auras
MARGARIS, *à nato exiſſent cùm, Tityre,*
Chriſto
Addita bis ſenis annis ter ſecula quinque.
Poſt ea,cùm iuuenem matura eduxerat ætas,
Rem ſibi ſuſceptis & laudem repperit armis,
Clara PALATINI *ſectatus caſtra* FRIDRICI,
QVINCTVS *Otomannos quem tunc mitte-*
bat in hoſtes
CAROLVS, *auriferos Iſter quà interluit agros.*
Sextus & Elector LVDOVICVS, *proximus illi*
Elector grata FRIDERICVS *voce Secundus,*
Electórque OTTO HENRICVS, *fortiſſi-*
mus heros,
Tertius Elector FRIDERICVS, *maxima*
gentis
Fama Palatinæ & SIMERAEAE *gloria ſtirpis,*
Inde Palatinus Reni Comes atque Biponti
Dux, animo iuſtiſq; potens VVOLFGANGVS
in armis,

Conſilijs, VVOLFGANGE, tuis operáq; fideli
Sunt multos, VVAMBOLDE, vſi feliciter annos,
Curriculo donec vitæ cum laude peracto,
Optata placidè compoſtus pace quieſcis,
Ter quinque à nato exiſſent cùm ſecula Chriſto,
Et ſextus luſtris ter ſenis additus annus.
Idem, quò vacuos impleret prole penates,
Atque ſui ſartum tectum ſeruaret honorem
Stemmatis, ardenti pectus ſuccenſus amore,
GEMMINGORVM ANNAM *priſco de ſanguine cretam,*
Vxorem caſto thalami ſibi fœdere iunxit.
Hæc igitur tanto felix & fœta marito,
Exemplo raro, cœlíque fauentibus aſtris,
Sex animo & pulcro præſtantes corpore gnatos
Progenuit caſti dulciſſima præmia lecti.
Fortibus atque bonis fortésque boníque creantur,
Nec leo magnanimus timidi viuacia cerui
Cornua, nec trepidos lepores agnásue, feroces
Imbellémue ſolent aquilæ generare columbam.
Primus in his magni CASIMIRI *Principis aulã*
Conſilijs moderans curáque PHILIPPE *fideli,*
Effulges, reliquos velut inter Sirius ignes,
Et genere, & meritis, & celſæ frontis honore,
Magnarúmque choro virtutum & fortibus auſis,
Caſto ANNAE MARIAE *licitas in pectore flammas,*
Atque tuî deſiderium & ſuccendis amorem,

Opta-

Optatámque ſacro ducis nunc fœdere ſponſam
In thalamum lætus, ſanctóque potiris amore.
Iámque tuum ſponſæque tuæ fauſto omine nomen
Omnes hæ ſiluæ, & lætis clamoribus, arcis
Atria NANSTEINAE *regali ſplendida cultu,*
Dum repetunt, clara teſtantur gaudia voce.
Alter EBERRARTVS, VVAMBOLDAE *proxima ſtirpis*
Gloria, Cæſareum magna grauitate tribunal
(Spira vbi ſpumiferis Reni defenditur vndis,
Sollicitis dans iura reis, & iurgia ſedat
Romanis moderans Romanum legibus orbem.)
Doctrina, ingenio, & facundo induſtrius ore,
Conſiliíſque potens, generoſo pectore dignis
Moribus exornat, iuſtíque patronus & æqui
Strennuus, & veræ conſtans pietatis amator,
Exculto ingenteis animos in pectore geſtat.
Eximium referens virtute & nomine patrem
Tertius hos ſequitur, magnorum dignus auorum,
Artibus & ſtudijs generoſum pectus honeſtis
Excultus, magníſque atauos virtutibus æquans
VVOLFGANGVS, *celſæ Præſes iuſtißimus aulæ,*
Sceptra Bipontinos vbi geſtat auita per agros
Ductor IOANNES, *iuſti defenſor & æqui,*
Ingenij, eloquij, & doctrinæ munere clarus,
Grata laboriferis conſeruans otia Muſis,
Gymnaſiúmque fouens dextra HORNBACCHENSE *benigna,*

Magnanimo ſoboles VVOLFGANGO *Prin-*
cipe digna,
Atque Palatino Reni de ſanguine Princeps.
Proximus huic, paruo ſed proximus interuallo,
Antiquis claram Boiorum in finibus vrbem (*æuo,*
Ambergam, viridi florens SVEIGHARTVS *in*
Cõſilijs iuſtóque regit moderamine legum,
Et ſibi commiſſos prudens dat iura per agros.
Septimus huic tantum Elector LVDOVICVS
honorem,
Celſa Palatinæ cùm ſceptra capeſſeret aulæ,
Contulit, ingenium iuuenis miratus & arteis,
Quas, SVEIGHARTE, *tibi iuuenilibus impi-*
ger annis,
Peruigili ſtudio & multo ſudore paraſti.
Tu varias vno depromis pectore linguas,
Tu terras alio procul hinc ſub Sole calentes,
Eridanum, Tiberim, Ligerim, rapidúmq; Garumnã,
Cúmq; Arari Rhodanũ, Tameſim, tria cornua Reni,
Auſonios, Gallos, & aduſtæ frontis Iberos,
Et longè noſtro ſemotos orbe Britannos,
Multorum mores hominum, peregrináque regna,
Et claras, ſtudio diſcendi, prouidus vrbes
Perluſtrans magnis inſtruxti pectora donis.
Abdita Muſarum & Sophiæ myſteria noſti,
Et ſacri tractas ſinuoſa volumina iuris,
Te multæ magnæque ſecantur iudice lites,
Eloquióque vales & acutæ munere mentis,

Oran-

Orantíſque tuo ſtupefacta pependit ab ore
Sæpè Palatini LVDOVICI *Principis aula.*
Quinctus IOANNES,*duris bellator in armis*
Strennuus,eximiam CASIMIRI *Principis aulã,*
Illius & crebrò Mauortia caſtra ſecutus,
Sub magno graue Martis opus didiciſſe magiſtro
Pergit,& antiqua claros virtute penates
Ipſe ſuis etiam decorans virtutibus,æuo
Impiger in viridi,factis extendere famam,
Magnis haud indignus auis atauíſque,laborat.
Sextus IOANNES THEODORVS, *vtroque paratus,*
Seu tractare libros,ſeu duri prælia Martis *(cis*
Sub duce magnanimo CASIMIRO. *at dulcia pa-*
Otia nunc ſectans,doctas induſtrius arteis
Excolit & veteres generoſo pectore Muſas,
Doctrina iuuenis præſtans mentíſque vigore,
Et varias callens linguas,atque ore diſerto
Et magna ſibi conciliàns virtute fauorem,
Eximijs olim ſe præſtat honoribus aptum,
Magnanimi comes aſſiduus Ducis,hîc vbi celſis
Arcis Panoriæ moles attollit in auras
Turribus ampla caput,Regum pallatia vincens,
Priſca Palatinæ ſedes Heroibus aulæ.
Hanc veteres, Ietta collem dixêre coloni,
Nomen idem retinent hac tempeſtate minores,
Ietta quòd his olim vates conſederit oris.
Viuite propitio felices numine,ſeni

Præſtantes animis & pulcro corpore fratres,
Omnes florentes ætate, & honoribus omnes
Conſpicui, ingenio, dextra, & virtute paratis.
O fortunatos tam forti prole parentes,
O fortunatam tam claro coniuge ſponſam.
T. *Fortunate ter & quater ò ampliſsime Sponſe,*
Hoc dignate bono, talis cui ducitur vxor.
Occiduas etiam properans me laſſus in vndas,
Dum mea ſilueſtrem cantillet arundine Muſam
Agreſti, Sol deſtituat, Melibœe, priuſquàm
SICKINGO *numerẽ proceres de ſanguine natos.*
Gens atauis SICKINGA *potẽs, et fortibus armis*
Clara, tua celebres titulos & ſtemmata ſponſæ
Dat, VVAMBOLDE. *Pater virtute* GEORGIVS *annos*
Condecorãs et laude genus GVLIELMVS *auitũs*
Patruus, Imperij Spiram columénque decúsque
Romani, ingenio, doctrina & moribus ornat
Inclyta SICKINGAE REINHARTVS *gloria ſtirpis;*
FRANCISCVS CVNRADVS *auus, dum fata ſinebant,*
Et belli ſtudijs, & pacis clarus honore,
Laudatam ſeros vitam produxit in annos,
Conſilijs opibúſque valens, viridíque ſenecta.
Eſt virtute potens proauus FRANCISCVS, *& armis*
Eximijs auratus eques; mens illius olim,

Van-

Vangiones, Nemetes, Treuiri, et quid dextera poſſet,
Senſerunt, donec caſtris obſeſſus in arce
NANSTEINA *validis & magni robore belli,*
Aduerſo pacem fractus iam Marte petiuit,
Suſceptis moriens haudquaquam inglorius armis.
Idem Euangelij luce exoriente, retecta
Fraude Papæ, ſcriptis & magni voce Lutheri,
Primus in his Chriſti defendit dogmata terris,
Hoſpitio accipiens CAPITONEM *& ſæpè*
BVCERVM,
Eximios Chriſti ſeruos, hoſtésque Papatus.
Fortibus atque bonis ſponſa his maioribus orta,
Ipſa ſuis etiam, claros virtute parentes,
Moribus exornat, veterísque encomia ſtirpis
Conſeruans, animíque & formæ dotibus augens
ANNA *ſuo datur in thalamum* SICKINGA
PHILIPPO.
O gaude tali felix VVAMBOLDE *puella.*
Tityre, dum gelida vacui recubamus in vmbra, M.
Maioréſque cadunt nondum de montibus vmbræ,
Et iuuat hîc læto mecum indulgere labori,
Dic age, quæ ſponſi, quæ ſint inſignia ſponſæ,
Antiquæ meritum decus ornamentáque ſtirpis,
Quid ſimilis color, & quid cetera ſymbola ſignent.
Alternis dicamus, amant alterna Camœnæ T.
Paſtorum, alterni maior, Melibœë, laboris
Gratia, ſi labor eſt gelida recubare ſub vmbra,
Et breue ſtridenti ſtipula deperdere carmen.

Ergo ego VVAMBOLDAE *memorabo inſignia*
gentis,
At tu SICKINGAE*; gratum labor ibit in orbē.*
M. *Pacta placent; tenues inflans age, Tityre, culmos*
Incipe; noſtra tua ſuccedet fiſtula Muſa.
T. *Albo quòd clypei fulgent vtrique colore*
Et nigro, iunctos animos & mutua ſignat
Fœdera, ſtat gemina ſimilis ſententia ſtirpi,
Iuſtitia & patrios pietate ornare penates,
Et ſimul æternum vitijs indicere bellum.
Hoc Melibœe, niger; color illud denotat albus.
At ferruginea canis exſtans caßide Sponſi,
Allatránsque feras, nunc huc, nunc lumina flectens
Illuc, aßiduè cœlos & ſidera ſpectans,
Erectam ſurſum mentem & terreſtrium inanem
Exprimit, vt nimijs hoc æui tramite curis
Depoſitis, ſemper cœleſtia regna petentes
Hîc noſtræ vigiles obeamus munera ſortis,
Et teneros noſtris tutemur ouilibus agnos
Inſidias contra varias rabiémque luporum.
M. *Cingula cur niueo geſtat canis aurea collo;*
T. *Præmia magnorum ſunt hæc, Melibœe, laborum,*
Et pietatis honos, cœlóque repoſta corona.
M. *Dic etiam, ſecto & clypei quid in æquore nigro,*
Tityre, candentes & acuto vertice pinnæ
Demonſtrent, infrà binæ, ternæque ſupernè,
Surſum tendentes omnes & in æthera purum.
T. *Pellentem tenebras lucem, & caligine falſi*
Diſcuſſa, veri ſuccenſum pectus amore, *Ar-*

Ardenteis etiam generoſo in ſanguine flammas
Continuè ſanctis augendas motibus, acre
Et deſiderium patriæ cœleſtis, origo
Vnde animis prima, & quæ noſtri meta laboris,
Poſt varios huius caſus vitæque pericla.
Sic ego promiſſi munus, Melibœe, peregi,
Omne mei; tua nunc ſuccedat fiſtula noſtræ.
Dic age, SICKINGA *reſidens cur caßide cygnus,*
Pro niueo flauum geſtat per colla colorem?
Candidus, vt perhibent, qui nôrunt talia, vates,
Tityre, vicinæ cygnus ſub tempora mortis,
Arguto lætum depromens gutture carmen,
Admonet, vt vitæ meditemur tempore, mortis
Tempora maturè, quò, cùm voluentibus annis
Illa dies aderit, quæ nil niſi corporis huius
Inferet exuuias terræ, cœlóque reponet
Immortalem animam, per Chriſti ſancta redemtam
Vulnera; nos etiam terris rebúſque relictis
Terrenis, promto cœli migremus in arcem
Corde, ſua nobis quam Chriſtus morte recluſit.
Luteus eſt auri color; auro digna notantur
Præmia virtutis, iuſtíque & ſplendor honeſti.
Hinc tria, quæ rutilo mala, mala ardore minantur
Punica, terribileis quà vi, quà fraudibus hoſtes
Tres ſignant, iugulum noſtrum cladémque petentes
Continuè, atque ipſam multo cum ſanguine vitam,
Hunc mundum, propriam carnem, dirúmque Satanam.
At pulcro malis infixæ vertice criſtæ,

Victricis ſunt ſigna manus, quæ, ſanguine Chriſti,
Optatum ſpondent nobis poſt fata triumphum.
Tùm niueas nigro clypei quas æquore cernis
Quínque pilas, vnam medio, bináſque ſupernè,
Infernéque etiam, quadrato ſchemate, binas,
Multa notant, paucis cupido tibi ſingula pandam.
Alba velut reliquos vincit ſplendore colores
Nix, gelidæ quando cecidit per tempora brumæ;
Candor & ingenui conſtantia pectoris omnem,
Tityre, ſic reliquæ vincunt virtutis honorem.
Candida ſic ſponſæ facies, ſic candida colla,
Candidior niue mens & pectus lacte recenti,
Conſtantē, V V A M B O L D E, tibi deſpōdet amorē.
Alma fugat rediens tenebras & triſtia noctis
Tempora lux, terríſque nouum dat læta colorem.
Sic quoque, Sponſe, tuos, amiſſa coniuge, luctus,
Et triſteis pellit tenebras longúmque dolorem,
A N N A *tibi* M A R I A *exoriens*, S I C K I N G I A
proles,
Lux noua, lux niue non calcata, & lumine Lunæ
Splendidior, thalamóque nouum dat grata colorem.
Apta quidem rapidas nix eſt exſtinguere flammas,
Sed niue cùm nuper (dictu & mirabile viſu)
A N N A *ſuum peteret* V V A M B O L D V M
fortè recenti,
Nix hæc ignis erat, quouis ardentior igne, (mam.
V V A M B O L D I *gratā reuocans in pectore flam-*
Sic noua nix veteres auget S I C K I N G A *calores,*

Et

Et blandum caſto ſub pectore nutrit amorem.
Ergo quod optato feciſti neſcia iactu,
Vulneris auxilium ne conſcia ferre recuſa,
Et ſponſi quinas ardenteis æquore flammas
Sponſa tuis totidem niueis reſtinguere ſueſce
ANNA *pilis, vtriuſq; monent hoc ſymbola gentis.*
Sic etiam exegi promiſſi, Tityre, munus
Omne mei, ceptos claudat nunc fiſtula cantus;
Aduenìens hoc noſter idem monet ecce Palæmo.
Sat ſponſo ſponſæque datum, nec ruſtica carmen T.
Muſa leui melius potuit nunc ludere culmo.
Ite domum longo paſtores carmine feßi, P.
Heſperus, ite, venit; ſaturas iam montibus agnas,
Diſtentásque domum deducite lacte capellas.
Iamdudum dulceis cara cum virgine ſomnos
Sponſus, & optatam caro cum coniuge noctem
Sponſa petens, vultúque pium teſtata pudorem
Arridet blandè ſponſo, ite, atque inter eundum,
Hoc grati veſtrum voto concludite carmen;
Viue tua felix cum coniuge, viue PHILIPPE,
ANNA *tuo felix cũ coniuge viue* PHILIPPO.
Alma Fides. Pietas, Pax & Concordia veſtrum
Et pleno thalamum defendat Copia cornu.
Ipſe Deus caſti præceptor & autor amoris,
Neſtoreos vobis vitam producat in annos,
Claráque cùm media fulgebunt ſidera noctis,
In thalamum ducat lætos, &, menſibus actis
Ter tribus, optata faciat vos prole parentes.

EPIGRAMMA

in eaſdem nuptias.

Multa tuis exſtant, Naſo, mendacia libris,
Sed tamen hoc nullum craßius eſſe reor,
Imparibus memini pedibus quod claudier hiſce:
Cedit amor rebus; res age, tutus eris.

Scilicet oppreſſus miranda mole laborum,
Quîs nequeant vel ſex eſſe, vel octo pares,
Non tamen oblitus teneri eſt VVAMBOLDVS *amoris,*
Magnanimi dignus Principis eſſe loco,
Gaudiáque amiſſa quæ coniuge ſenſit abeſſe,
In veteres reuocat, fratre monente, toros.
Sic ego; ſic noto ſtomachans pro vate Cupido
Reſpondet breuiter; parciùs iſta tamen,
Parciùs iſta meo vati obiectare memento.
Iudicio nec enim ſtátque cadítque tuo.
Ille meas voluit, ſi neſcis, cedere rebus,
Quas vetitæ Veneris ventilat aura, faces;
Non, quas legitimo de fomite tæda iugalis
Suſcitat, & caſti pectoris ardor amat.
Has non impediunt vel mille negotia flammas,
Ipſo ſopitas exſtimulante Deo.

Me modò vera loqui, vel te quoq; teſte probabo.
Senſi me inuitis erubuiſſe genis,
Et tacui. ille mouens pharetrámque arcúmque ſonantem,
Vicini ſubijt mœnia Cœnobij,
Inde petiturus, Sodome quas altera cellas
Exſtruit imparis, Roma vetuſta, popis.

Simon Stenius Lomacenſis.

P 4

ELEGIA

IN NVPTIAS ORNATISSIMI VIRI ET CEleberrimi Typographi MATTHAEI HARNISCH, & honeſtiſsimæ virginis ANNAE filiæ MELCHIORIS KLEM, Senatoris in Neapolitana Nemetum Republica.

FOrtè pererratis ſpatioſi finibus orbis
Aliger in Nemetum venerat arua puer,
Inter vbi claras numeranda Neapolis vrbeis
Vitiferos tenui flumine ſcindit agros,
Et modicum, Nicri ſacra de ſede repulſis
(Expulit has veræ relligionis amor)
Hoſpitium præbet Muſis, latéque per orbem
Ingenij profert plurima ſigna ſui.
Adueniens, noto vicini vertice montis
(Huic loca ſunt vni ſubdita cuncta Deo)
Conſtitit, & ſoliti quærens veſtigia regni,
Ecce nouas veteri conſpicit vrbe Deas,
Miratur geniúmque loci, tacitúsque requirit,
Cur noua ſit veteri præbita forma loco.
Sed citò ne quiſquam puerum ſe noſcat Amorem,
Inſtruit aſſueta callidus arte dolos.
Ex humeris celeres alas, duplicésque ſagittas,

Proijcit

Proïjcit ex oculis vincula grata ſuis.
Sic poſitus, noua ſe ſubitò conuertit in ora,
Et tremulum ſimilat voce gradúque ſenem.
Iámque ſuis grandeis iaciens de montibus vmbras
Laſſus ad Heſperias Sol properabat aquas.
Ergo puer ſpecie velatus membra ſenili
Adrepit tardo mœnia nota pede.
Fortè ſuo quendam redeuntem cernit ab horto,
Mœſta cui facies pulláque veſtis erat,
Et prior, Heus, inquit, neglecto ſolus ab horto
Cur rediens lacrymis pectus & ora rigas?
Dic age, cur nitidis fulgentes turribus ædeis,
Atque nouas veteri conſpicor vrbe Deas.
Si licet, & pateris, nomen quoque (ignoſce roganti)
Et quæ ſint vitæ munia, pande, tuæ.
Ille ſenis faciem miratus & ora diſerta,
Mox MATTHAEVS, *ait, ſum, Pater,* HARNISIVS.
Cura mihi doctos excudere ſedula libros,
Hinc SERVATA *domum* DITAT *alítque* FIDES.
Has lacrymas, hanc & me pullam corpore veſtem,
Coniugis amiſſæ funus habere iubet.
Quas nitidis cernis fulgentes turribus ædeis,
Sunt nuper ſtructæ grata Lycea ſcholæ.
Quæ niueo circumuolitant hæc agmine Diuæ,
Candida cum doctis artibus eſt pietas,

Quîs ſolita nuper pulſis CASIMIRVS *ab vrbe*
Magnanimus Princeps hoc dedit hoſpitium.
Nunc contrà, venerande Senex (ignoſce roganti).
Tu quis es, hinc, dic, quò tendis, & vndè venis;
Tum puer aſſuetas iamdudum callidus arteis
Verſans, hæc ficto pectore verba refert;
Túne ille HARNISIVS, *totũ qui ſpargis in orbẽ*
Edita præclaris ſcripta diſerta typis.
Pantopiam contra, fruſtrà ringente Fabello,
Et paruo corpus panis in orbe latens?
Lætor, in has tandem, quòd me Deus appulit oras,
Mœnia viſurum parua Neapoleωs,
Parua quidem, toto ſed enim celeberrima mundo,
Muneribus Bacchi, Pieridúmque choro.
Sum pius Andreas, comes infelicis amici,
Et fugio patrij Belgica tecta ſoli,
Panoriam repetens longo pòſt tempore ſedem,
Perfugium Muſis hoſpitiúmque meis.
Quiſquis es, amiſſam, Pater, obliuiſcere terram,
Hac mecũ, HARNISIVS, *nocte manebis, ait.*
Mollibus effarctus molli cum tegmine plumis
Lectulus, & dulcis copia grata meri,
Præſtò etiam ſimplex erit & tibi promta voluntas,
Et bona de rebus multáque verba bonis.
Caſtaneæ molles, cum pomis caſeus, aſſa
Fruſtula fors etiam pauca dabuntur auis.
Talia regales vincunt, me iudice, menſas
Fercla, nec autori ſunt oneroſa ſuo.

Plura

Plura darem, raptæ immaturo coniugis, adeis
Mors niſi turbaſſet funere dura, meas.
Nunc miſer in viduo cogor requieſcere lecto,
Et meus aſſueto non calet igne focus.
Mox puer; Accipio, quod das, erit & mihi dignas
Pro meritis grates cura referre tuis.
Sic vice ſermonis grata, at non paßibus æquis,
Ambo ſuſceptum progrediuntur iter.
Ventum erat occiduæ tandem propè limina portæ,
Semita quà lætis vitibus arcta ſubeſt;
Ecce ſuos celſo comitans de monte parentes,
Et graue virgo ferens vertice prodit onus,
Moribus & facie præſtans, ætatéque florens,
Nec poſthac vacuo virgo locanda toro.
Tùm puer hic ſecum (puerum quis fallat Amorem?)
Huius, ait, paullò poſt eris, ANNA, *viri.*
MATTHAEVS *placidè & nullius conſcius aſtus,*
Securus puero cum ſene pergit iter,
Et tacitè, laſſam miſerans ſub faſce, profatur;
Iſta meæ nomen coniugis ANNA *refert.*
ANNA *etiam caro, nullius conſcia fraudis,*
Sedula propoſitum cum patre pergit iter.
Fòrs & in HARNISII *conuertens lumina vultũ,*
Hos tacito ſecum murmurat ore ſonos;
Quis nouus aduenit noſtras hic hoſpes in oras?
Cur tremulo HARNISIVS *cum ſene progre-*
Tandẽ poſt dictã veteri de more ſalutẽ, (ditur?
Nota domus intrat limina quiſque ſua.

Sic duce MATTHAEO *puer hic deductus in ædeis,*
Obuia dùm vafro lumine quæque notat.
Eſſe videt (cuſtos aberat fidiſſima, coniux)
Et dolet, haud proprio cuncta repoſta loco,
Neglecto teneras & paſſo crine puellas,
Atque ſua gelidum luce carere focum,
Inde typographici ſubiens conclaue laboris,
Hic etiam quarto præla vacare loco,
Denique turbatas malè ſingula ſparſa per ædeis,
Vt fit, vbi nutrix ſedula, mater abeſt,
Tùm lacrymas Domini & mœſto ſuſpiria vultu,
Cunctáque continuo plena dolore domus,
Hinc vacuum lectum, vacuam ſine coniuge menſam,
Paucáque nec ſolito fercula ſtructa modo.
Poſt cœnam tenuem, dicenda tacenda locuti,
Vix oculis ſomnum pellit vterque ſuis.
Tùm puer; Ah tandem gemitu, MATTHAEE, *relicto,*
Languida nocturno membra ſopore leua.
Omnia deſertas neglecta iacere per ædeis
Cur ſinis, & quarto præla vacare loco?
Frigida cur vacuo deponis membra cubili,
Et tua cur longus macerat oſſa dolor?
Sat lacrymis ANNAEQVE *datum,* MATTHAEE, *priori;*
Altera iam viduos impleat ANNA *lares.*
Nec tibi ſemota coniux procul vrbe petatur;
Hæc, duce me, facilè vrbs, quod, tibi reddet, ames.

Ille

Ille vale tantùm dicens & lumina tergens,
Deponit vacuo frigida membra toro.
Iámque domus gratum carpebat tota ſoporem,
Ceſſabántque ſuis libera præla typis.
Intereà notas fallax puer expedit artes,
HARNISII *in viduũ detur vt* ANNA *torũ,*
Atque ſui furtim recludens hoſpitis ædes
(Hunc non vlla queunt clauſtra tenere Deum)
Depoſitam repetit pharetram, celerésque ſagittas,
Adducitque arcus cornua lenta ſui,
Et graue ſopiti torquens in pectora telum,
En, ait, hoc noſtro munere vulnus habe.
Nec mora, vicinas ANNAE *contendit in ædes,*
Sopitæque ſtetit virginis ante torum,
Et ſubita tenerum transfigens cuſpide pectus,
Hoc, ait, hoc noſtro munere vulnus habe.
His actis, thalamo ridens aſſcribit vtrique,
Iſta puer vobis vulnera fecit Amor.
Tùm ſubitò fugiens alias commigrat in oras,
Vt ſimili ſimileis inſtruat arte dolos.
At breuis HARNISIO *mutat præcordia ſomnus,*
Atque nouo vireis ſuſcitat igne nouas.
Et ſecum; Veteres redeunt in pectora flammæ?
Me luſit ficto callidus ore ſenex.
Vulnus alo venis, & grato torqueor igni.
Hoc puer inflixit, ſentio, vulnus Amor.
Ergo quid fruſtrà placito colluctor amori?
Mœſta diu viduo quid loco membra toro?

ANNA *prior nimiùm properato funere liquit,*
Altera deſertam ſuppleat ANNA *domum.*
Hæc verſans, multas numerat dùm ſedulus Annas,
Nulla tamen thalamo congruit ANNA *ſuo.*
Tandem vicinas animo conuerſus ad ædes,
ANNA *mihi, dicit,* KLEMMIA *ſola placet.*
Talia MATTHAEVS. *Similem mox* ANNA *calorem*
Sentit, & inſuetum pectore vulnus alit;
MATTHAEI *facies & amata lumina frontis,*
Et quod adhuc toto corpore robur ineſt,
Multáque continuo crepitantia prala labore,
Inſuper & nitidis edita ſcripta typis;
Occurrunt ANNAE, *placidæ per tempora noctis,*
Et tenerum caſto pectus amore grauant:
Mox ſecum; Si vlli ſeruor iungenda marito,
Hunc mihi det, inquit, fata benigna virum.
Talia ſollicito ducunt ſuſpiria corde;
Sed probat euentus vota pudica bonus.
Vt primùm rediјt pulſis aurora tenebris,
Effulsítque nouum Solis in orbe iubar;
MATTHAEVS *(longa eſt omnis mora ſemper amanti,*
Et citò ſanari vulnera gaudet Amor)
Conueniens caræ patrem matrémque puellæ,
ANNA *mihi, cupio, veſtra, ſit vxor, ait.*
Aſſensêre pio ſtudio votóque parentes;
Iuſſáque idem nutu comprobat ANNA *ſuo.*

Iámq;

Iámq; ſacris thalami, patrio de more peractis,
ANNA datur ſponſo KLEMMIA ſponſa ſuo.
Ergo pium quotquot caſti venerantur amoris
Fœdus, & æquali pectora iuncta fide,
Huic hilares faueant thalamo, faciántq; frequentes
Pro cepto mecum talia vota toro;
Viuite felici concordes ſidere, quorum
Mutua legitimus pectora vinxit amor.
Viue diu cara lætus cum coniuge, ſponſe,
Et cum MATTHAEO tu quoq; ſponſa tuo;
Coniunctis animis, quidquid volet alter, & alter
Id velit; vſque eſto par amor, æqua fides;
Copia ſuppeditet vobis pleno omnia cornu,
Et SERVATA domum DITET alátque
FIDES.
Sponſa ſuum foueat ſponſum, triníſque ter actis
Menſibus, hæc fiat mater, & ille pater.

Diſtichon continens annum, menſem
& diem nuptiarum.

Ter ſena, & Dena AprILIS benè IVngit Vr Anna
MatthaVs; IVſti ſInt pIa Vota torI.

LAMBERTI LVDOLFI PITHOPOEI, Dauentrienſis Poematum liber quartus.

SILVAE.

Ad ADRIANVM BORCK POMERANVM.

Te quia iam Muſæ celebrant & Apollinis artes,
Si vacat, hæc etiam, Borckie, metra leges.

Ad Iohannem Bocerum, Poetam præſtantiſsimum, & Poeſeωs in Academia Roſtochiana profeſſorem.

DOcte vir, & noſtri celeberrima gloria ſecli,
Maxima Pierÿ cura decúsque chori,
Quos fero verſiculos, placido, precor, excipe vultu,
Et ſinito has aliquod pondus habere preces.
Non equidē nummos, gemmáſue, Bocere, micantes,
Non peto purpurei dona beata Tagi.
Vilia ſunt hæc & foliȷs leuiora caducis.
Non tam fluxa poteſt dona Poeta dare.
Atque equidem meritò dicar rationis egenus,
Terreá ſi à ſacro munera vate petam.
Cum gemmis auróque ſacris commercia Muſis
Sunt rara, his requies paupeiésque placent.

Sunt

Sunt niſi cum Muſis commercia nulla poetis.
Quæ Muſa, hæc vates munera ferre ſolent.
Immortale ſuo vates dant carmine nomen,
Regales vincit fama perennis opes.
Inſuper à docto nummos ſperare poeta,
Eſt grande, vt cecinit Naſo poeta, ſcelus.
Nil moror hæc, tantùm liceat mihi, docte Bocere,
Dulcis amicitiæ fœdus inire tuæ.
Ipſe quidem fateor, tali haud me munere dignum,
Vt tanti dicar vatis amicus ego.
Sim licet indignus, nequit attamen eſſe Bocero
Indignum, iuuenis non repuliſſe preces.
Nam velut ingenui hæc iuuenis non vltima cura eſt,
Vt præceptorem laudet amétque ſuum:
Sic quoq; doctorem inprimis decet, inter amicos
Diſcipulum orantem connumerare ſuos.
Ergo tuos finito ſim inter Pithopœus amicos.
Hac fore me ditem dote, Bocere, puto.
Si mihi detur id, haud ipſo cum Cæſare ſortem
Permutare meam, ſit licet arcta, velim.
Diuitijs alij ſtudeant ſine fine parandis,
Et multo teneant parta labore bona;
At mihi cum ſacris vtinam vixiſſe poetis,
Et liceat doctis ſemper adeſſe viris.
Hoc ego contentus, Reges, Regúmque triumphos
Contemnam, & quidquid mobile vulgus amat.
Dum calidus fragili hoc durabit corpore ſanguis,
Et mea vitalis dum vigor oſſa reget,

Semper amicitiam vatum coluiſſe iuuabit,
Semper erit doctis cura placere viris.
Eſt aliquid, doctis non diſplicuiſſe poetis;
His contrà non eſt, diſplicuiſſe, nihil.
Plus multò eſt, ſi me, mihi crede, Bocerus amabit,
Detur amicitia ſi illius vſque frui,
Quàm ſi cum ſummis liceat vixiſſe Monarchis,
Quàm ſi me Dux vel Rex opulentus amet.
Sit Maro, malo, mihi & vates Pelignus amicus,
Fœdus amicitiæ malo, Bocere, tuæ,
Iulius, Auguſto quàm ſi cum Cæſare, Quinctus
Carolus & tradat regia ſceptra mihi.
Aurea dent licet atque argentea munera Reges,
Déntque licet Tyria vellera tincta manu,
Quis tamen ignorat fluxa eſſe hæc atque caduca,
Tempore quis neget hæc interitura breui?
At nunquam intereunt ſacrorum munera vatum;
Quam tribuunt vates, fama perennis erit.
Iulius Auguſtúsque tuo, Maro docte, legentur
Carmine, donec erunt ſidera, terra fretum.
Mutata in varias durabunt corpora formas,
Dulcia Naſonis carmina donec erunt.
Hæc tunc interient, tumidum cùm piſcibus æquor,
Cùm deerunt cœlo ſidera, gramen humo.
Induperatores, genuit quos Teutona tellus,
Carminibus viuent, clare Sabine, tuis
Auricomi ſidus Phœbi, Lunæque bicornis
Luſtrabit donec lumine cuncta ſuo.

Cla-

Clara, Bocere, viget Danorum gloria Regum,
Et viuet Muſis tempus in omne tuis,
Et tua laudabunt, dum mundi hæc machina ſtabit,
Scripta Megalburgos, docte Bocere, duces.
Ergo tuos inter quoque connumerare clientes,
Me, precor, Aonidum fama decúsque velis.
Irrita, polliceor, ſi non mea ſenſero vota,
Non ficto ſemper pectore gratus ero.
Ac quamuis meritas nequeam tibi reddere grates,
Mens tamen officij haud immemor huius erit.
Hac fore te ſpero contentum, docte Poeta.
Nam melius, quod det, nil Pithopœus habet.
Sed quid opus verbis? ſic te iam ſæpè probaui,
Has vt te nôrim ſpernere nolle preces.
Ergo modum tandem faciam finémque rogandi.
Non mea præcipites vota tulêre Noti.
Iámque tibi refero Strozas, natúmque patrémque,
Quîs mira numeri dexteritate fluunt.
Cúmque tibi, dignas nequeam perſoluere grates,
Officium hoc memori mente tenebo tuum.
Da facilis veniam, tanto quòd tempore Strozas
Seruârim. cauſſa eſt, quòd placuêre mihi.
Quòd dederis etiam, grates ago pectore toto,
Daniacos Reges, Holſaticósque Duces.
His tibi pro meritis gemmæ debentur & aurum.
Sed dare quis tandem, quo caret ipſe, poteſt?
Ergo tibi grates tot dico, Bocere. ſerena
Quot celſo fulgent ſidera nocte polo,

Aequora quot piſces,& habent quot robora ſiluæ,
Et quot vere nouo gramina nutrit ager.
Quod ſupereſt, ſeros ſeruet te Chriſtus in annos
Incolumem,& vitæ proſperet acta tuæ.

Roſtochij,eidib.Maijs,anno 1558.

Ad eundem.

Ergo ſalutatum propera,mea Muſa,Bocerum
Sedula,nec ceptum littera differ opus.
Dum licet,adſpectu fruere & ſermone Boceri.
Namque fugit rapidæ tempus adinſtar aquæ.
Doctrinæque,refer,cauſſa maioris adire
Leucoreas ſtatuit iam Pithopœus aquas.
Ergo ne pigeat doctum rogitare Bocerum
(Non,mihi crede,tuas reſpuet ille preces.)
Promtus vt ad magnum tibi pauca Melanchthona tradat
Atque alios doctos verba ferenda viros.
Hoc,mihi,confirma,officium fore gratius,amplas
Quàm ſi donaret rex opulentus opes.
His dictis,vatem rectè venerata Bocerum
Muſa,refer celeres ad tua tecta pedes.

Roſtochij,eidib.Iunijs,anno 1558.

Ad eundem.

Quas tibi Leucorea Pithopœus ab vrbe tabellas
Mitto,cape haud triſti,docte Boçere,manu.

Quòd

Quòd tibi pro meritis non conuenientia reddam
Munera, paupertas inuidioſa facit.
Cum gemmis fuluum, vt noſti, mihi deficit aurum,
Quáſque habet in pretio mobile vulgus opes.
Hæc mihi cùm deſint, animum retinere ſtudebo
Erga te gratum, haud immemorémque tui.
Optima res animus, ſeu quis dare munera cuiquam,
Pro meritis grates reddere ſiue velit.
Hoc igitur fore te contentum, ſpero, Bocere.
Non dare paupertas me meliora ſinit.
Leucoream tandem perueni ſaluus in vrbem,
In terras clarum ſole ferente caput,
Cùm decima atque dies ageretur ſeptima menſis,
Alma cui nomen nobile Iuno dedit.
Hîc adij magnum virtute fidéque Philippum,
Quo nullus toto clarior orbe viget.
Felix illa dies, niueóque notanda lapillo,
Qua ſubij limen, magne Philippe, tuum,
Qua coràm licuit dextra mihi iungere dextram,
Conſpectúque frui, colloquióque tuo.
Illa meo nunquam labetur pectore, donec
Vixi, lux mihi non dulcior vlla fuit.
Proſperet atque meos vtinam fortuna labores,
Vt liceat ceptam continuare viam,
Nec, ſemper magnis paupertas inuida rebus,
Leucoreæ cogat linquere tecta ſcholæ.
Hactenus hæc. nunc, quæ ſint hîc his acta diebus,
Quæ tibi ſint ſcitu grata, Bocere, dabo.

Euſebio Menio præſtantis gnata poetæ
In ſocium ducta eſt Anna Sabina torum.
Septima cùm fulſit lux & vigeſima Iunij,
Hæc ſunt ſollemni more peracta ſacra.
Adfuit huic feſto Camerarius atque Sabinus,
Cum multis, quorum haud nomina nota mihi.
Nunc ſatis hæc; doctas ne obtundam verſibus aures,
Dulce tibi ſalue & dico, Bocere, vale.

Vvittembergæ, Non. Quinctil. anno 1558.

Ad Philippum Melanchthonem.

Αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει,
Vt canit Aſcræi muſa diſerta ſenis.
Ergo tuùm cogor ſupplex, Venerande Philippe,
Auxilium timida ſollicitare prece.
Inuida me prohibet paupertas altiùs ire
In ſtudijs, ceptam & continuare viam.
Parca mihi puero patrem abſtulit atra Ludolfum.
Immatura nimis mors fuit illa mihi.
Diſcipulus fuerat tuus hic quoque, magne Philippe,
Et tibi non minima iunctus amicitia.
Huic quam ſcripſiſti, id teſtatur littera, rector
Ammersfordiacæ cùm foret ipſe ſcholæ.
Poſt nonum inde annum, matrem nil tale timenti
Mors rapuit ſtudijs rursùs acerba meis.
Eſt aliquid cara, quamuis doleamus & illud,
Præſentem matris condere corpus humo:

Aſt ego, dum patria procul extra mœnia dego,
Inijcit huic auidas mors truculenta manus.
Sic miſer, orbatus relinquor vtróque parente,
Fluctuat vt tumidis naufraga puppis aquis.
Tum quoque, quæ cari mihi relliquêre parentes,
Aut nihil, aut ſanè ſunt ſatis exigua,
Haud equidem tàm ſunt ampla, vt mihi tẽpore longo
Ad ſtudia auxilium ſuppeditare queant.
Adde, quòd eſt horum bona pars abſumta frequento
Dum Laciburgiacæ docta Lycea ſcholæ.
Vnum illic ſimulac vixiſſem & quattuor annos,
Vrbem Leucoream viſere cura fuit,
Vt virtute viros audirem atque arte potentes,
Et vocem inprimis, docte Philippe, tuam.
Hoc ſuaſere mihi Burenius atque Chytræus,
Qui merito cari te vice patris amant.
Hanc, duce Chriſto, igitur perueni lætus in vrbem,
Leucoreæ fama & motus amore ſcholæ.
Atque vtinam hîc ſeros mihi viuere detur in annos,
Colloquiíſque frui, docte Philippe, tuis.
Huic, mihi crede, bono gemmas, aurúmq́; coruſcum,
Et regum turres poſtpoſuiſſe velim.
Sed, quæ multorum profectibus obſtat egeſtas,
Heu nimiùm ſtudijs officit illa meis,
Nec ſinit, vt longo didiciſſe hîc tempore poſſim.
Nam mea iamdudum eſt ære crumena leuis,
Optatum haud vnquam poterit pertingere portum,
In medijs mea ſed cymba fatiſcet aquis,

Sit niſi, qui tandem Mœcenas dirigat illam,
Vt vento poßit proſperiore vehi.
Sed patre quantumuis & ſit mihi matre carendum,
Me tamen haud Chriſtus deſeruiſſe volet;
Et, licet haud habeam, quas vitæ poſtulat vſus,
Atque diu quibus hîc viuere detur, opes;
Haud tamen idcircò Muſas arteíſque relinquam,
Leucoride hac ſedes quæ poſuêre ſuas.
Non animum abijciam, ſed contrà audentior ibo,
A Domino exſpectans non dubitanter opem.
Commendabo meam Domino vitam atque labores,
Et ſoli innitar ſpéque fidéque Deo.
Ille meos, vt promiſit, ſic diriget actus,
Vt laudis poßint organon eſſe ſuæ;
Ille dabit laceræ portum contingere puppi,
Et mihi ſuſceptæ dux erit ille viæ;
Ille mea haud ſinet vt ſint irrita vota, dabítque,
Vt grata in ſtudijs commoditate fruar.
At dat cuncta Deus, ſed non per cornua taurum;
Rectè vti medijs nos iubet ille ſuis.
Te mediante, Deum, ſpero, me velle iuuare.
Namque Deo dicis, cunctáque grata facis.
Te Venerande Senex igitur, te magne Philippe,
Ne pia diſcipuli reſpue vota, precor;
Me Musáſque meas dabitur tibi prima iuuandi,
Quæ ratio, mihi quæ frugifera eſſe queat,
Oro, mei meminiſſe velis, ſolitóque fauore
Rebus in anguſtis ferre rogatus opem.

Illa tua erga omnes diſcentes promta voluntas
A te ſubſidium me rogitare iubet,
Quæ velut eſt toti dudum benè cognita mundo,
Eſt etiam nuper ſic patefacta mihi.
Hebdomades etenim non multas ante, Chytræi
Ad te cùm ferrem verba notata manu,
Me tibi quîs ſtudiúmq; meum commendat, & orat,
Eſſe velis vitæ dux monitórque meæ;
Fit tua nota mihi mox officioſa voluntas,
Pectoráque hiberna candidiora niue,
Quódque memor, mihi continuò promittis, eorum,
Pro me quæ Dauid ſcripſerat, eſſe velis,
Atque iubes, quo non aliud mihi gratius vllum,
Accedam vt quo te tempore cunque velim,
Denique & hanc addis vocem, Venerande Philippe,
Qua mihi vox nunquam dulcior vlla fuit;
Auxilio dabitur cùm primùm occaſio, Chriſti,
Quæ poßit Muſis vtilis eſſe tuis,
Quodcunque eſt in me ſtudium, experiêre, tibíque
Officium deerit non, Pithopœë, meum.
Hac motus bonitate tua ſtudióque iuuandi,
Nunc operam poſco, magne Philippe, tuam.
Ac, quoniam es vero complexus amore Ludolfum,
Quo Dauenturÿ ſum genitore ſatus,
Me quoque ſpero tibi carum fore nomine patris,
Qui vero coluit nomen honore tuum.
Ipſe nec ignoras, magne & venerande Philippe,
Et ſcio, te monitis poſſe carere meis,

Officium quàm ſit ſanctum, quàm munus honeſtum
Quàm tali cupiat Chriſtus honore coli,
Diſcipulo præceptor opem cùm præſtat egenti,
In ſtudijs opera conſilióue ſuo.
Nam Chriſti, ſtudijs eccleſia creſcit honeſtis,
Et res in magno publica flore manet.
Hoc Deus officium magno cumulabit honore,
Et reddet meritis præmia digna tuis.
Non perit, in Chriſti quidquid confertur honorem,
Exiguus gelidæ ſit licet hauſtus aquæ.
Res eſt nota quidem, ſed non indigna referri,
Reſponſum ad matrem Tiberij Sophiam.
Fortè etenim, nimium quòd largiretur egenis,
Cùm gnatum verbis carperet illa ſuum;
Regis non deerit, mox ille, pecunia fiſco,
Donec pauperibus diſtribuentur opes.
Regia vox iſthæc & magno Principe digna,
Regibus, & magnis ſæpe iteranda viris,
Atque alijs etiam memori benè corde tenenda,
De rebus potis eſt nos monuiſſe bonis,
Quòd benefacta Deus compenſet, præmia reddat.
Quòd pro collatis iuſta eleemoſynis.
Sic etiam fidis dare præceptoribus ampla
Vult bona, pro ipſorum ſedulitate Deus,
Quicunq; inſtituunt virtute atq; arte, iuuántq;
Diſcipulos opera conſilióque ſuos,
Doctibus ingenij varijs exornat & auget,
Et ſtudia ipſorum proſpera cuncta facit.

Expe-

Experiêre etiam ſincero pectore gratum,
Hoc me pro officio, magne Philippe, tuo.
Ac dignas licet ipſe ſciam, fateárque libenter,
Me nunquam grates reddere poſſe tibi,
Attamen officij, dum ſpiritus hos reget artus,
Mens mea non poterit non memor eſſe tui.
Oceanus citiùs nudos in littore piſces
Deſtituet, cœlum ſidera, gramen humum,
Quàm tuus è noſtro labatur pectore vultus.
Tàm memori meritum mente tenebo tuum.
Sic mores etiam, vitam, cunctósque labores,
Et mea ſic ſtudia, vt ſint tibi grata, regam,
Et memor officij tibi mens, vt ſpero, placebit.
Καὶ γὰρ τῶν χαρίτων θυμὸς ἄειςος ἔφυ.
Ergo ſancte ſenex placido, rogo, ſuſcipe vultu,
Et meæ vota aliquod pondus habere ſine,
Ac tibi quæ dabitur me occaſio prima iuuandi,
Vt promiſiſti, ſic memor eſto mei.
Quod ſupereſt, vero Ieſum rogo pectore Chriſtum,
Qui ſcelera abſterſit ſanguine noſtra ſuo,
Vt tibi longinquos vitam producat in annos,
Nos voce vt doceas, magne Philippe, tua,
Auxiliúmque tuos contra tibi præbeat hoſtes,
Qui ſummi oppugnant dogmata ſancta Dei,
Diſtrahitur miſerè per quos eccleſia Chriſti,
Et gemit indignis dilacerata modis,
Conſiliíſque tuis adſit, cunctósque labores
Nominis ad laudem dirigat ipſe ſui,

Id pater æternus, celſi velit autor Olympi,
Cúmque patris gnato ſpiritus almus. Amen.
Magne Philippe, tuo mundum qui nomine comples,
Doctrina, ingenio, moribus, arte, fide,
Qui pia ſaluifici reparaſti dogmata Chriſti,
Auſus & es pulſis vera docere dolis,
Quos fero, pacato verſus, precor, excipe vultu,
Hásque meas placida ſuſcipe mente preces.
Si vacat, atque tibi ſi, magne Philippe, moleſtum
Non erit, hæc, oro, carmina pauca legas.

Vvittembergæ, pridie Nonas Sextileis,
anno 1558.

Legit hæc Melanchthon libenter ac promtè, & me iuuit comiter ac ſincerè.

Δαβὶδ τῷ χυτραίῳ,

Τῷ εὐσεβεστάτῳ καὶ ἐπιεικεστάτῳ, διδασκάλῳ ἐμῷ φιλτάτῳ
εὖ πράττειν.

Ἀψευδοῦς φιλίης ἐνὶ ἀνθρώποισιν ἄεισος
Θησαυρὸς τελέθει, ὥσπερ ἐμοὶ δοκέει.
Οὐ μὲν γάρ τ' ἀὴρ, ὃν πνείομεν, οὐδὲ τὸ ὕδωρ,
Οὐδέ τὸ πῦρ οὕτως χρήσιμόν ἐστι βροτοῖς.
Ἄργυρος ἢ χρυσὸς μέγ' ὄνειαρ φαίνεται εἶναι,
Ἄλλο τε τοῖς ἄλλοις κτῆμα ποθητὸν ἔφυ.

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ φίλον πιστὸν τούτων πολὺ κρείσσονα εἶναι,
    Τῶν θνητῶν βιότου δείκνυσι δυστυχία.
Νῦν ἄρ᾽ ἐγὼ γλυκερᾶς ὠσθεὶς ἀπὸ πατρίδος αἴας,
    Εὑρήσειν πιστοὺς ὧδε ἔολπα φίλους.
Βούκερον ἐν τοῖσδ᾽ ἠδὲ μέγαν χυτραῖον ἀριθμῶ
    Πρώτους, παμπόλλων ἀντ᾽ εὐεργεσιῶν.
Ἀνθ᾽ ὧν σοι πασῶν μεγάλην χάριν οἶδα, χυτραῖε,
    Ἀθάνατον τούτων μνῆστιν ὑποσχόμενος.
Αὐτὰρ ἐπεὶ πενίη καλὴν ἀποδοῦναι ἀμοιβὴν
    Οὐκ ἐᾷ, ἀρκείτω σοὶ τὸ θέλημα φίλον.
Εὔνοιαν δὲ μαθὼν πείρᾳ σέθεν, οὔποτε αἰτῶν
    Παύσομαι, ὡς ἔμ᾽ ὀνῇς πλείονα, αἴκε δύνῃ.
Ἤρεσεν αἰὲν ἐμῷ θυμῷ Ἀκαδημία ὑμῶν,
    Τηλεθόωσ᾽ ἀνδρῶν ἐλλογίμων θιάσῳ.
Εἰ γοῦν, ὅπερ ἐρῶ, ἐπιτεύξομαι, εὖ τά μὰ ἕξει,
    Εἰ δὲ μή, οὐ τόδ᾽ ἐγὼ ἤλιθα δυσχερανῶ.
Εὖ γὰρ ἔχει ὁ λόγος τοῦ Στωϊκοῦ, ὧδε παραινῶν
    Θνητοὺς ὠφελίμως, ὡς παρ᾽ ἐμοὶ κέκειται:
Πράγματ᾽ ἐπεὶ οὐ γίνεται, ὡς καταθύμιον ἡμῖν,
    Βουλώμεθ᾽, ὥσπερ γίνεται ἐν βιότῳ.
Καὶ ῥα ταπεινοῦσθαι χριστοῦ ὑπὸ χεῖρα κραταιὰν
    Εὐσεβέας, καθάπερ Πέτρος ἔγραψε, χρεών.
Ἀλλὰ σύ, εἰ δυνατόν, κατάπραξαι τοῦτο χυτραῖε,
    Ἔνθαδε ὥστε τόπον τὸν πιθοποιὸν ἔχειν.
Ὡς κάμνουσιν ἀεὶ τὸ παρὸν βαρύ, παῦροι ὁμοίως
    Ἄνθρωποι ἰδίην εὖ πθέασι τύχην.
Τοὔνεκ᾽ ἐπιρρίψω ἐπὶ χριστὸν φροντίδα πᾶσαν.
    Οὗτος ἐμοὶ ἐλπὶς δυστυχέοντι μόνος.

Αὐτῷ ἐμοῖο μέλει, αὐτοῦ θείῃσι πεποιθὼς
Αἰὲν ἐπαγγελίαις θυμὸν ἄλυπον ἔχω.
Εὐφραίνει τὸ συνειδὸς ἐμ' ἠδ' ἀγαθὴ μάλα ἐλπὶς.
Εἵνεκα γὰρ χριστοῦ, πατρίδος ἐξέπεσον.
Παντοκράτωρ σε θεὸς, χυτραῖε, φίλην τε ἄκοιτιν,
Εὖ ζώειν δηρὸν καὶ φίλα τέκνα δότω.
Μνημόσυνον δ' ἐμέθεν φιλίης λαβὲ τοῦτο πόνημα,
Καὶ πιθοποιὸν ἀεὶ, τὸν σὲ φιλοῦντα, φίλει.
Ἐν τῷ Ῥωστοχίῳ, Πυανεψιῶνος φθίνοντος τῇ
Ὀγδόῃ, ἔτει ἀπὸ τῆς θεανθρωπίας α.φ.ξ.α.

Ἀνδρέᾳ τῷ Μυλίῳ,

Τῷ μεγαλοπρεπεστάτῳ, σοφωτάτῳ, καὶ λογιωτάτῳ, τῷ τοῦ κρατίστου ἥρωος Ἰωάννου Ἀλβήρτου, τῶν Μεγαλοπολιτῶν ἐπιφανεστάτου ἡγεμόνος συμβούλῳ, χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

Κοινὸν χρηστὸς ἀνὴρ ἀγαθὸν, λόγος ἐστὶ Μενάνδρου,
Ὡς δ' ἐγὼ φαίνω, πᾶσιν εὐφροσύνη.
Τοῖος γοῦν τελέθων, λογιώτατε Μύλλιε, πολλοῖς
Ἐνδόξοις ἀνδρῶν ἐνθάδε ἡδὺς ἔφυς.
Σοῦ χυτραῖος ἐρᾷ, σοῦ Βούκερος. ἄνδρες ἀγαυοὶ,
Εὐφημεῖ δέ σ' ὅλη Ῥωστοχίοιο πόλις.
Αἰνὰ δὲ θαυμάζει τὸ λύκειον ἀγακλυτὸν, ἠδὲ
Ἀνέρες οἰκοῦντες γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ.
Αὐτὸς Ἰωάννης Ἀλβῆρτος φαίδιμος ἀρχὼν,
Ἔν τε πόλει Ἐνετῶν ἡγεμονεὺς μεγάλῃ,

Μουσάων φιλέων θεράποντας ἰδὲ Χριστοῖο
    Σπουδαίως, ἀγαπᾷ Μύλλιε σὴν σοφίην.
Τόσσος γὰρ εἰ ἀρετὴν, τόσσος πινυτήν τε νόοντε,
    Τόσσος παιδείαν, πιερίδων τε τέχνας.
Πολλάκι τῷ ῥά σ' ἰδεῖν καὶ ἀκουέμεναι ἐπεθύμουν.
    Οὐ μὴν, ὧν ἔθελον, ἠδυνάμην τυχέειν.
Ἀξιόπιστος ἐμοὶ τοῦδ' ἔσαι μάρτυς, ἀδελφὴν
    Βούκηρος αἰδοίην ὅστις ἔγημεν ἐμήν.
Τόσσον θεσπεσίη ἀρετὴ δύνατ', ὡς καὶ ἀπόντας
    Τοὺς ἀγαθοὺς φιλέειν τοὺς μὴ ἑωρακότας.
Αὐτὰρ ἐμοὶ καλὴν νῦν ὤπασε Χριστὸς ἀφορμήν.
    Αὐτὸς ἐς ἡμετέραν Μύλλιος ἦλθε πόλιν.
Ὄντα δ' ἐγὼ σ' εἰδὼς μεγάλῃσιν ἐν ἀσχολίῃσιν,
    Τοῦτ' ἔγραψα, τεῒν γνώειμος εἶν' ἐθέλων,
Ἠδὲ βοήθειαν ζητεῖν τινα πρὸς φιλομούσου
    Ἀνδρὸς, καὶ μεγάλου ἡγεμόνοιο φίλου.
Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνέρι, ὥς που
    Ἀσκραίου ὀρθῶς Μοῦσα γέροντος ἔφη.
Ἄθλιός εἰμι φυγὰς, τοῦ Χριστοῦ εἵνεκεν, ὅν περ
    Χρὴ πλέον, ἢ φοβερὸν δαίμονα δειδιέναι.
Ἐνθάδε νῦν ζητῶ τίνα κοίρανον ἠδὲ τροφῆα,
    Λύπης τ' ἐλπίζω ὧδ' ἀνάπαυσιν ἔχειν.
Ῥωσοχίου δὲ λύκειον ἐπεὶ ποθέει τινὰς ἄνδρας,
    Ἐν τούτοις ἄρα μοι δὸς τόπον, εἰ δυνατόν.
Ἔρρωσ' ὦ τῷ ἐμῷ κεχαρισμένε Μύλλιε θυμῷ,
    Καὶ φιλόμουσος ἐὼν, τὸν φιλόμουσον ὄνει.
Ἐν τῷ Ῥωσοχίῳ, Πυανεψιῶνος μεσοῦντος τῇ ὀγδόῃ,
    Ἔτει ἀπὸ τῆς θεανθρωπίας α.φ ξ α.

Ad Bocerum.

Fortè vagi rapidas ſolus ſpaciabar ad vndas
Albis, Leucoreæ quà rigat arua ſcholæ,
Iámque nouo exoriens luſtrabat lumine terras
Phœbus, & aduerſas Taurus adibat aquas.
Aſpicio cœlos & Solis amabile lumen,
Cuius viuifico cuncta calore vigent,
Miror & æterno labentia flumina curſu,
In plenum ſeſe fundere cuncta mare,
Et mecum tacito cauſſas ſub corde voluto,
Cur cuncta, Autumni ſidere nata, cadant,
Vere nouo contrà tellus ſe læta recludat,
Et redeant plantis arboribúsque comæ.
Haud equidem caſu hæc ſic ferri, aſt eſſe, fatendum,
Arte ac conſilio qui regat iſta, Deum.
Hæc ego ſollicita dum ſingula mente reuoluo,
Spumiferas errans ſolus ad Albis aquas,
Aura leui à tergo ſubitò mihi viſa moueri
Murmure, & à ſtrepitu terra ſonare pedum.
Territus hinc, primùm greſſum cum voce repreſſi,
Pergo tamen cœptam continuare viam.
Ecce nouem ducens præſtanti corpore nymphas,
Pulcer ab Arctoo littore Phœbus adeſt;
Nec mora, ſiſto gradum, & nudato vertice Phœbum
Præſentem veneror, Pieridásque nouem.
At volucri quoniam findebant aera vento
Ocyus, alloquio non ibi tempus erat.

Voce

Voce tamen Muſas properantes inſequor, ad quæ
Tàm celeres tendant mœnia, ſcire volens.
Victa meis tandem clamoribus vna Dearum,
Dum properat, breuiter talia dicta refert;
Quiſquis es, ingrato Muſas ſtridore retardans,
Pro tali pœnas ruſticitate dabis.
Te pudeat, Phœbum cum ſacris ſiſtere Muſis,
Tàm celeri cernis quos properare gradu.
Stigelij nobis, & clari docta Sabini
Carmina ſunt curæ, his Iuppiter ipſe fauet.
Teque tuósque nihil verſus, ſimiléſque moramur.
Pòſt igitur Muſis obſtrepuiſſe caue.
Sic ait, atq; vmbræ volucríque ſimillima vento,
Cum reliquis viſus effugit illa meos.
Aſt ego Leucoream refero me triſtis ad vrbem,
Offenſum Phœbum Pieridéſque dolens.
Si quòrſum hæc tendant, forſan mirabere, quæ ſit
Propoſiti, paucis accipe, ſumma mei.
Haud facilè inuitis ſcribuntur carmina Muſis;
Has mihi, te quæſo, conciliare velis.
Heu miſer, & Phœbũ, & ſanctas mihi ſentio Muſas,
Verſibus offenſas nolle fauere meis.
Te ſupplex igitur, mihi, præſtantiſſime vates,
Oro, tuo faciles carmine redde Deas.
Sunt tua, ſunt Muſis & Phœbo carmina curæ.
Hi mihi, quod cupio, te rogitante, dabunt.
Sin minùs; hoc ſaltem propera mihi ſcribere, Muſas
Placare offenſas qua ratione queam.

Sic optata tuis cedant, precor, omnia cœptis,
Lætáque ſint vitæ tempora cuncta tuæ.

Vvittembergæ, eidib. 11 xbr. anni 1558.

Ad eundem.

Hanc quoque ne pigeat rursùm ſubijſſe laborem
Littera, ſed ceptam ſedula carpe viam,
Et Laciburgiacam veniens non ſegnis ad vrbem,
Quamprimùm vatis limen adito mei,
Et dic, quam docto mittit Pithopœus ab Albi,
Hæc, petit, vt tibi ſit grata, Bocere, ſalus.
Quòd nihil ad noſtras reſcripſerit ipſe tabellas
Hactenus, id placida mente probare decet.
Non quòd ſit noſtrî, facit hoc, oblitus; at huius
Conſilij nobis abdita cauſſa ſui.
Quidquid erit, firma hæc ſedeat ſententia menti,
Lambertum vero corde Bocerus amat.
Carmina quàm curent Phœbus doctæque, Boceri,
Aonides, vatis, res ſatis ipſa docet.
Hanc igitur cauſſam, ſi forſan littera neſcis,
Cur hucúſque nihil ſcripſerit, eſſe puta;
Aßiduè doctum rogitant, vt multa, Bocerum,
Conſcribat, Phœbus Pieridúmque chorus.
Hos veteri meritò præponere pergit amico.
Non Phœbo & Muſis anteferendus homo.
Muſarum celebrat diuino carmine fontes,
Muſarum docto carmine feſta canit,

Pieri-

Pieridum, violis & ſpargit frondibus, aras,
Et parat ad feſtos laurea ſerta dies.
Talia cùm ſemper tractésque negotia tanta,
Et ſcribas Muſis grata, Bocere, tuis,
Haud equidem miror, tibi nec ſuccenſeo quidquam,
Nulla quòd à te ſit littera ſcripta mihi.
Forſan & Auſtriacos claro de ſtemmate natos,
Carmine cœpiſti nobilitare Duces.
Hinc fit, vt à cepto, peregrinis pectora curis,
Carmine diuelli non patiâre tua.
Dulcia ſepoſitis ſcribuntur carmina curis,
Non benè ſollicito carmina corde fluunt.
Nec volo, nec par eſt, ſacrum impediïſſe laborem;
Non vnquàm tanti criminis auctor ero.
Malo, nulla mihi reſcribas carmina, quàm non
Tàm ſacrum fauſtè progrediatur opus.
Ergo age, ſuſceptos abſolue Bocere labores,
Et celebra Auſtriaca fortia facta domus.
Vos quoque Pierides, tu carminis auctor Apollo,
In noua nunc vireis carmina ferte nouas,
Ducat ad optatum vates vt carmina finem,
Dignáque pro tanto dona labore ferat.
Sic veſtris gratos aris accendat odores
Stigelius veſtri cura decúsque lacus,
Sic veſtrum aſsiduè cœtum, veſtríque Sabinus
Condecoret docto carmine fontis aquas.

Vvittembergæ, pridie kalend. Nouembr. anno 1558.

Iohannes Bocerus Lamberto Pithopœo, amico ſuo non vulgari S.P.

Non tua te bonitas doctum comitatur ad Albim,
Parte ſed excedit pectoris illa tui.
Scilicet haud cupido mittis tua ſcripta Bocero.
Ille mei feruens quò tibi ceſsit amor?
Húncne ſodalitij tibi pars melioris ademit,
Et minuit fidei vincula firma meæ?
An ferus, accuſas noſtræ taciturna Camœnæ
Munera te longis non adijſſe moris,
Officiúmque meum ſuſpenſa mente moraris,
Dum veniat grata littera ſcripta manu?
Da veniam, cauſſáſque moræ non accipe noſtræ,
Signa velut mentis ſint aliena meæ.
Me dolor, & triſtes ſub iniquo pondere curæ,
Conficit, & geminus nocte diéque labor.
Quis dolor iſte, rogas? cauſſæ ſunt mille doloris,
Quódque gemam, crebrò tempora noſtra ferunt.
Et tibi ſat noſtri ratio perſpecta laboris,
Fœderis excuſsi me negat eſſe reum,
Sola nec impoſitæ defendo munera partis,
Accedit curis Francias ampla meis.
Illa mihi tempus venientis ſurripit horæ,
Laſſat, & ingenium deuorat illa meum.
Et iam confeci bis trinos ordine libros;
Longa tamen cepti meta laboris abeſt,
Et nondum potui Scythicis decedere terris,
Prælia dum rigido cuncta ſub axe cano.

At

At citò me capient fœcundi littora Reni,
Et res extollam, clare Sicambre, tuas.
Intereà ſuperos mecum, Lamberte, precare,
Vt ceptum fauſto ſidere creſcat opus.
Fallor, an & patrias hoc cernes carmine laudes,
Et releges gentis facta vetuſta tuæ?
Si potes inceptum quacunq; iuuare laborem
Parte, ſit officij cura benigna tui.
Rara tibi noſtra quòd dantur munera Muſæ,
Nos excuſatos hac ratione puta,
Ilias illa meis obſtat quòd maxima votis,
Et mihi ſcribendi tempora grata negat.
Crebra tamen manibus tua detur epiſtola noſtris,
Feſſa nec officium negligat illa ſuum.
Nam mea ſi rarò te littera miſſa ſalutet,
Hæres pectoribus non minùs ipſe meis.
Namque ſemel virtus mihi quos coniunxit amicos,
Hos ego, dum tellus ſtabit & vnda, colam.
Hos inter meritus cùm ſit Pithopœus haberi,
E cœlo cùm Sol excidet, ille mihi.

Cùm hãc ad te epiſtolam complicare & obſignare pararem, venit ad me noſter Clemẽs ab Achtefelt, iuuenis, quod tu optimè ſcis, non vulgari ornatus doctrina, & ſingulari memoria, & egregia ad egregium ſcribendũ carmen facultate præditus, ſuíſque hîc præceptoribus propter morum modeſtiam, &

in ſtudijs diligentiam cariſsimus, tuas mihi adferens literas. Quare te excuſatum habeo, agóque tibi gratias maximas pro carmine tuo, Eiuſmodi enim epiſtolis & carminibus nihil mihi poteſt eſſe iucundius. Sed quod venuſtè fingis, Muſas meos etiam verſus, vt Sabini & Stigelij delectare, illiſq; curæ eſſe, facis tu id quidẽ abundantia quadam amoris erga me tui; tibi tamen amanter habeo gratiam, méque pro virili mea ornaturum & te viciſsim promoturum, ſanctè tibi polliceor. Vale.

Roſtochij, 19. Octobr. anno 1558.

Pithopœus Bocero S.P.

Quæ tibi iam tandem, docto Pithopœus ab Albi
Tranſmittit, læta carmina mente cape.
Hæc quoniam verum cordis teſtantur amorem,
Haud equidem prorsùs diſplicitura puto.
Ipſe, mihi tantas, ſcio non in carmina vires
Eſſe, queam vt tanto ſcribere digna viro.
Tanta meam nunquam ſubijt dementia mentem,
Nec par eſt humeris ſarcina tanta meis.
Sed fuit hæc animi ſemper ſententia noſtri,
Tranſmiſi quando carmina cúnque tibi,
Carmina quò poſſem gratam teſtantia mentem
Scribere pro meritis officiiſque tuis.

Hæc

Hæc quoque cur mittam,ſimilis me cauſſa coegit,
Quæ legis imparibus verba ligata modis,
Qui Laciburgiaca nos inter cœpit in vrbe,
Vt meus erga te conſpiceretur amor.
Ergo tuos forſan ſi carmina noſtra labores
Impedient,placida hoc mente Bocere proba.
Nam tibi mittuntur ſtudio non iſta nocendi,
(Nunquā intret tantum pectora noſtra ſcelus.)
Aſt animum tibi quòd cupiam monſtrare fauentem,
Et quod te vero pectus amore colit.
Inſuper ipſe mihi mandata,Bocere,dediſti,
Quæ,quantum potero,ſedulus vſque ſequar,
Vt tibi crebra meis ſcribatur epiſtola verbis,
Officij quæ ſit nuntia certa mei.
His ego commotus cauſſis,diuine Poeta,
Hæc ſcripſi vndeno metra reuincta pede.
Sed fuit hæc etiam cepti mihi cauſſa laboris,
Quam libet hoc breuiter commemorare loco.
Ampla tibi tempus venientis deuorat hora
Francias,& craſſos non ſinit ire dies.
Ergo tuum volui votis ornare laborem,
Vt ceptum fauſto ſidere creſcat opus.
Vos precor Aonides,te carminis auctor Apollo,
Auxiliatrices porrigitote manus,
Adſitis,vatíque nouas in carmina vireis
Addite,nam vobis carmina digna canit.
Vos procul à ſacro mala pellite cuncta poeta,
Vt tanto poſſit latus honore frui,

Metáque cùm cœpti fuerit contacta laboris,
Atque nouo rursùm carmine clarus erit,
Tunc etiam merito decoretur honore Bocerus,
Dignáque pro tanto carmine dona ferat.
Sic onerent veſtras violis fragrantibus aras,
Nec ceſſent veſtros nobilitare lacus,
Stigelius vates & veſtri cura Sabinus,
Quîs non maius habent tempora noſtra decus,
Hos præter, vobis Schoſſerus, & ipſe Bocerus
Dulciſona pergant pangere voce melos.
Hæc mea iampridem pro cœpto vota labore
Facta, bonus læta mente manúque cape.
Ne tamen hîc ſolito claudatur epiſtola more,
Hæc eſt reſponſi ſumma, Bocere, mei.
Si mihi ſint centum linguis ſuperaddita centum
Ora, ſit &, Naſo, quæ tibi vena fuit;
Dicere, crede mihi, nequeam, tua ſcripta, Bocere,
Attulerint animo gaudia quanta meo.
Sed ſatis hæc, tu ne magnis deſiſtito cœptis,
Et cane Francorum fortia facta Ducum,
Auráque quò cernat citò publica, perfice libros,
Quos de Francorum ſcribis honore Ducum.
Nec te pœniteat tantos toleraſſe labores,
Aeterni fructum nominis inde feres.

Vvittembergæ, Nonis Decembr.
anno 1558.

Ad Iohannem Schofferum, Poetam celeberrimum.

Si vacat, hos vena deductos paupere verſus
Perlege, Pierij gloria magna lacus.
Non ſint digna licet Schoffero hæc carmina vate,
Mitto tamen iuſſu qualiacúnque tuo.
Quæ ſi fortè tibi minùs apto tempore trado,
Id, Schoffere, boni conſuluiſſe velis.
Non erit vlla mihi, mea ni ſententia fallit,
Culpa ſed eſt iuſsis attribuenda tuis.
Prima ſit hæc igitur, nunc paucis altera reſtat
Propoſiti ratio commemoranda mei.
Nota tua primus fecit mihi nomina fama,
Qui te ſincero corde Bocerus amat,
Dum Laciburgiaca crebrò mihi narrat in vrbe,
Quàm ſcribas doctis carmina grata viris,
Quàm tua Stigelio placeant & ſcripta Sabino,
Iudicio ſummis ingenióque viris,
Carmina quàm magno tua ſint accepta Philippo,
Secula quo maius nulla tulêre decus.
His, Schoffere, tui dictis ſuccenſus amore,
Vt tua det, rogito, ſcripta legenda mihi.
Quæ ſimul attentus legiſſem, talia, dixi,
Aemula ſunt elegis carmina, Naſo, tuis.
Pòſt vbi Leucoreæ, monitis iuſsúque Chytræi,
Viſere conſtitui docta Lycea ſchola,
Prima fuit doctum mihi cura rogare Bocerum,
Ad te quò ſcribat nomine pauca meo,

Téque mei rogitet ſtudij, Schoſſere, labores,
Vt quacúnque queas parte iuuare, iuues,
Talia ſuſcepit vates mea vota Bocerus,
Atque meas pondus iuſsit habere preces.
Hanc igitur poſtquàm veniſſem lætus in vrbem,
Numine deductus, maxime Chriſte, tuo,
Quo potui primùm tibì tempore trado, Bocerus
Ad te quæ dederat verba ferenda mihi.
Tunc mihi, quod lætor, vates Schoſſere, dabatur
Adſpectúque frui, colloquiísque tuis.
Quàm tua grata mihi fuerit præſentia, limen
Vt primùm ſubij, docte Poeta, tuum,
Ora mihi centum ſi ſint ſuperaddita linguis,
Non tamen id plenè ſignificare queam.
Non erit officium mihi pòſt iucundius vllum
(Nec dare me credas auribus iſta tuis)
Quàm ſi pace tua liceat veniſſe, tuíſque
Colloquijs coràm carminibúsque frui,
Muſeíque tui vt deinceps, Schoſſere, pudore
Atque auſim poſito limen adire metu,
Ne iuuenis, vero qui te veneratur amore,
Reſpue, ſed placida ſuſcipe fronte preces,
Méque tuos inter quoque connumerato ſodaleis,
Poſtremóque ſinas nomen habere loco.
Hoc ego præ dono, vates Schoſſere, ſuperba,
Crede mihi, regum ſpernere tecta velim.
At licet indignus tanto ſim munere vatis,
Vt velit in ſocijs me numerare ſuis;

Atta-

Attamen indignum tanto nequit eſſe Poeta,
Hæc mea ne prorsùs ſpernere vota velit.
Ingenium mihi cùm, vires, doctrináque deſint,
Cura fuit doctis ſemper adeſſe viris,
Scilicet vt mores diſcam formare modeſtos,
Et poßim ad patrios doctior ire focos.
Hæc & amicitiæ cupiam cur, clare poeta,
Eſt ratio, tecum fœdus inire tuæ.
Diuitias alij ſtulto ſectentur amore,
Miretur magnas mobile vulgus opes;
Aſt ego, vitalis mea dum calor oſſa fouebit,
Non ficto vates ſemper amore colam.
Diuitijs præſtant ſacrorum carmina vatum;
Aeterni fructus nominis inde venit.
Cum gemmis aurum, Reges, Regúmque triumphi
Interient, vatum fama perennis erit.
Has, Schoſſere, preces & ſi mea vota probâris,
Perpetuus meriti debitor huius ero;
Méque ſciam dignas licet haud tibi reddere grates
Poſſe, tamen fido pectore gratus ero.
Nulla tui noſtram capient obliuia mentem,
Sidera dum cœlum, gramen habebit ager.
Quòd ſupereſt, opto lætæ tibi tempora vitæ,
Conſiliíſque precor fata ſecunda tuis.

Vvittembergæ, poſtridie Nonas Decembreis, anno 1558.

Ad eundem.

Hos quoque verſiculos ſolito legiſſe fauore,
Si vacat à ſtudijs, docte Poeta, velis.
Non hi magna ferunt equidem tibi munera, mentis
Sed te ſunt erga nuntia ſigna meæ.
Nuper enim cepti nos inter fœdus amoris
Non patiar culpa diſsiluiſſe mea.
Cúmque meum ſit non aliud, quo teſter amorem,
Ad te verſiculos mitto ſubinde meos.
Verſibus, at vereor, ne fors, Schoffere, moleſtus
Sim tibi, dum nimiùm ſedulus eſſe volo.
Ergo meo veniam facto concede, ſerena
Et ſtudium hoc, vates optime, fronte proba.
Tanta meo non eſt animo fiducia, poſſe
Vt me Schoffero ſcribere digna putem.
Eſt Maro, iucundos eſt & qui tractat amores
Naſo, tui ſunt &, docte Tibulle, ioci.
Inſuper eſt Heſſus vatum decus, eſtque Sabinus,
Sunt, Schoffere, tui carmina Stigelij.
His meritò tribuis ſtudium tempúsque poetis;
Ipſe ſcio, his nugis nil opus eſſe meis.
Sunt aliæ, verſus auſim cur mittere, cauſſæ,
Quas libet hoc breuiter commemorare loco.
Ac inter reliquas eſt iſta potiſsima cauſſas,
Quòd, ſequar vt monitus, ſit mihi cura, tuos.
Nam, quo te primùm conueni tempore, dixti,
Interdum verſus fer, Pithopœe, tuos.

Altera

Altera cauſſa, meum verſu quòd teſter amorem,
Quem queo non alio ſignificare modo.
Tertia, quòd cupiam ſcribendis verſibus, arctas
Ingenij vires excoluiſſe mei.
Multa monent etenim ſapientum ſcripta virorum,
Quàm proſit ſtudijs, vertere ſæpè ſtylum.
Nam veluti longo ferrum ſplendeſcit ab vſu,
Et perit; aſſiduè ni renouetur, ager:
Ingenium ſic eſt iuuenile; labore niteſcit;
Fertile, deſidia, quod fuit antè, perit.
Iſtáque ſufficient, fuerim cur hactenus auſus
Schoſſero verſus mittere ſæpè meos.
At tibi cur iſtos hoc ſcribam tempore, paucis
Eſt etiam facti cauſſa notanda mei.
Agnoſco, fateórque libens, ſempérque fatebor,
Plurima præſtiteris quòd benefacta mihi.
Primùm etenim, quo non aliud mihi gratius vllum,
Me, licet haud meritum, non ſimulanter amas,
Atque tuos inter nomen concedis amicos,
Colloquiíſque frui das mihi ſæpè tuis,
Submotóque mihi reſeras tua limina poſte,
Et tua me crebrò tecta ſubire iubes.
Tum quoque clarorum donas mihi carmina vatum,
Me ſinis à magnis ſcripta videre viris;
Vtque meis pergant ſtudijs prodeſſe, rogaſti
Doctrina inſignes iudicióque viros,
Caſelium græcum vatem, Paullúmque, Decani
Qui tanto dignus munere, munus obit.

Hos apud expertus ſum, quid tua dicta valerent,
Cùm foret ingenij cenſor vterque mei.
His tibi verſiculis igitur, doctiſsime vates,
Pro meritis grates, quas queo, dico tuis.
Et quoniam tantum tibi debeo, præmia nunquam
Vt poßim meritis digna referre tuis:
Officij, mihi crede, tui non immemor vnquam,
Et tibi non ficto pectore gratus ero.
Copia ſitque licet meritorum magna tuorum,
Hoc meritis vnum nunc tamen adde tuis,
Caſeliúmque roga, Paullum, magnúmq; Philippum,
(Vt tua ſint, hi non, irrita vota, ſinunt)
Vt mihi ſtare loco reliquos dent inter honeſto
Laurea quos Sophiæ ſumma corona manet.
Sic tibi ſint faciles Muſæ, ſic omnia cedant
Fauſta precor ceptis conſiliíſque tuis.
Iam quoque Lucani tibi reddo poema, boníque
Oro, velis longam conſuluiſſe moram.

Vvittembergæ, pridie kal. Februar. anno Chriſti 1559.

Bocerus Pithopœo S.P.

Ecquid, vt hanc releges miſſam, Pithopœe, ſalutem,
Inſperata nouæ gaudia mentis ales?
En ſoror, en vati rectè tua iuncta Bocero,
Intrabit thalamum ſponſa pudica meum,
Actáque legitimo nuper ſponſalia more
Firmárunt licitum tempus in omne torum.

Deſpexi

Deſpexi reliquas conſtanti pectore ſponſas,
Quarum, quod fateor, copia magna fuit;
Deſpexit reliquos hæc firmo pectore ſponſos,
Quorum, quod fateor, copia magna fuit.
Sed Deus aſſenſu duo nos coniunxit amico,
Accendítque rata mutua corda fide.
Hactenus in noſtris cantata puella libellis
(Ediderim quamuis plurima) nulla fuit.
Et dum ſollicitè, quænam mihi cedere poſſit,
Specto, ſubit ſenſus vna Maria meos.
Illa placet, vitæ cunctos addicta per annos,
Materies creſcet, carminis illa mei.
Affinem tibi ſi vatémque placere Bocerum
Fortè reges, vati non minùs illa datur.
At reor, affinem tibi poſſe placere Bocerum.
Namque mihi nuper non alienus eras,
Cùm nomen, Muſásque meas, artémq; probabas,
Qua ſine non homini gloria vera venit.
Ergo mihi caræque lubens gratare ſorori,
Cœptáque, dic, ſummus prouehat iſta Deus.
Scripſimus & fratri, quà clara Dauentria, Muſis
Apta iacet, tædas vt probet ille meas.
Scripſimus, & cupimus, Ioannam læta ſororem
Protinùs ad noſtræ tecta venire domus.
Hæc mihi, quàm coniux, eſt æquè grata futura,
Huícque ſodalitium præbeat, illa mihi.
Reſtat, vt aduenias, cùm connubialia nobis,
Iampridem optatus, gaudia dicet hymen.

Tempus at, à Muſis ne fruſtrà deuius erres,
Hoc tibi litterulis ſignificabo meis.
Intereà poteríſque mihi, poteríſque ſorori
Prodeſſe officij ſedulitate tui.

Memoria digna eſt, cariſsime affinis, Poetæ illa ſententia, verè & ſapienter prolata,

τίς δ' οἶκος ἐν βροτοῖσιν ὄλβιος ποτε
γυναικὸς ἐσθλῆς χωρὶς, ὀγκωθεὶς χλιδῇ.

Volente igitur & ita ordinante Deo Optimo Maximo, tuam ſororem Mariam mihi in dulciſsimam elegi coniugem. Tui erit officij, huic coniugio omnia fauſta ab æterno Deo, omnis pietatis & bonitatis fonte, precari. Quæ ad γαμικὰ noſtra attinent, apud noſtros Schoſſerum & Cheſſelium diligenter curabis. Non enim dubito, quin aliquid in meas nuptias de largo Muſarum horto, qui vtriq; fœcundiſsimus eſt, ſint depromturi. Id te petẽte & hortante facient diligentiùs & lubentiùs. Certum diem nuptiarum necdum conſtituimus. Abeſt enim Dux Iohannes Albertus in Auguſtanis comitijs, quem nuptiarum tempore inprimis adeſſe cupio, vt Mæcenatem cùm ſemper erga me Clementiſsimum, tùm nunc minimè à me alienum. Proximis literis tempus certum nuptia-

nuptiarum tibi indicabo, ad quas vt adſis, pro noſtra affinitate, & inita arctioris amicitiæ copula, ſi pateris, impero. A, D. Philippo Melanchthone, præceptore meritiſsimo, & omni honore digniſsimo, modeſtè petes, vt dignetur ſuo quoq; epigrãmate nuptias meas & aliorum carmina nuptialia exornare, qua de re ad ipſum ſcripſi. Benè & feliciter vale. Roſtochij, v. kal. April. anno 1559.

Iohanni Bocero, affini ſuo cariſſimo Pithopœus S. P.

Non benè turbata ſcribuntur carmina mente,
Rectiùs ex læta carmina mente fluunt.
Ergo magna noui cùm ſit mihi cauſſa vigoris,
Hæc iunxi imparibus verba, Bocere, modis.
O mihi tàm faciles fluerent ſi carmina vena,
Quàm tibi de largo carmina fonte fluunt,
Inſperata meæ quò poſſem gaudia mentis,
Carminibus plenè ſignificare meis.
Sed precor hæc fruſtrà. nam vix facunda Maronis
Exponat mentis gaudia, Muſa meæ.
Hic meus ætherias hauſit dum ſpiritus auras,
Charta mihi nunquam lætior vlla fuit,
Quàm tua, quæ caſtum mihi commemorauit amorẽ
Qui tibi legitimum ſuaſit inire torum.
Ergo Bocere tibi grator, caræque ſorori
Grator, & ex animo proſpera cuncta precor.

S

Qui primus caſti fœdus ſanciuit amoris,
Iuſsit & hac homines creſcere lege Deus,
Ille, precor, iubeat, Mariam, vatémque Bocerum
Legitimi lætos fœdus inire tori;
Ille det, vt veſtræ ſint proſpera tempora vitæ,
Nec ſocium turbent vlla pericla torum;
Pauperiem, morbos, & ſæua prælia linguæ
A veſtro iubeat ſemper abeſſe toro;
Et ſeruet ſanam ſano cum corpore mentem,
Vt peragant munus membráque ménsque ſuum;
Ille, precor, pulcra faciat vos prole parentes,
Et longa generis poſteritate beet.
Viuite felices concordi fœdere, quorum
Mutua legitimus pectora iungit amor.
Audiet iſta Deus pro lecto vota iugali,
Nec ſinet eſſe meas murmur inane preces.
Caſtus enim cùm ſit, caſto lætatur amore,
Coniugiíque probat fœdera caſta Deus.
At nihil affinem dubitato placere Bocerum.
Cui tantus vates diſplicuiſſe queat?
Sæpè tui mecum miratus carminis artem,
Hunc Mariæ, dixi, des Deus, oro, virum.
Comprobat euentus votum, vatísque Boceri
En mea legitimo flagrat amore ſoror.
Fortunata ſoror, tanto dilecta poetæ,
Iam tuus æternùm carmine viuet honos.
O ſoror, ò vtinam genitrix nùnc cara ſuperſit,
Cùm tanti coniux eſſe ferêre viri.

Ipſa

Ipſa ſacrum præſens ad connubiale veniret,
Et ferret thalamo dona precéſque tuo.
Chriſto aliter viſum. genitrix Lubberta quieſcat,
Tu caſto ſponſum dilige corde tuum.
Affinis potuit non te mihi gratior vllus,
Nec Mariæ ſponſus gratior eſſe tuæ.
Ergo vale magno ſoror aſſocianda poetæ,
Cum Maria felix viue Boc?re tua.

Vvittembergæ, 21. April. anno 155?.

Ad Hermannum Veſpaſium, Stadenſem, poetam elegantiſſimum, & amicum ſuauiſſimum.

Poetæ præſtanti plurimam precatur proſperitatem Pithopœus.

Puro proponam Pithopœus pocula potu
Plena, precor, promtus properato perite poetæ.
Pauxillum placeat Phœbi poſtponere plectra.
Pectore proueniunt præclara poemata pleno.
Propoſitis poclis Phœbo pæana poetæ
Pleni pergratum promti profundere poſſunt.
Propterea pariter potemus pocla, poeta
Præſtans, pauca, precor permultùm plena profectò
Pocula perpetuò poſſunt prodeſſe poetis.

Roſtochij, III. kalend. Februar. anno 1558.

Ad eundem meum Veſpaſium.

Inter mihi cariſſimos,
Dulciſſimóſque amiculos,
Inter ſodales optimos,
Hermanne iucundiſſime,
Hos in tepente hypocauſtulo
Verſus, vacat ſi, conditos,
Benignus, oro, perlege.
Namque adferunt pecuniam,
Gratum nouúmque nuntium,
Miſſam tibi à ſororibus
Nouem, colis quas ſedulò,
Heliconis alto ex vertice.
Mirus tibi videbitur,
Verúsque vix hic nuntius,
Et forſitan ſic inquies;
Vnde hæc noua eſt benignitas.
Hæc vnde liberalitas
Sacris venit virgunculis?
Muſis puto commercij
Nil eſſe cùm pecunia.
Sed deſine admirarier,
Vtque acta res ſit, accipe.
Equos bicornis humidos
Cùm nocte Luna flecteret,
Placidúmque feſſa carperent
Graui labore corpora,

Somnum, venit pulcerrima
Ad lectulum virgo meum,
Similis nouem ſororibus.
Oculis, & ore, & veſtibus,
Et dormientem me excitat,
Manu capillos vellicans.
Expergefactus horreo,
Et præ metu totus tremo,
Harétque vox in faucibus.
Tandem tamen recolligens
Senſus meos, hanc virginem
Veneror colóque, quod queo.
Tum virgo fatur talia;
Pithopœe parcito metu,
Non triſte monſtrum conſpicis,
Sed de nouem ſororibus
Vnam, Thaliam nomine,
Viæque cauſſa eſt hæc meæ;
Vt ſcis, egeſtas aſpera
Tuum premit Veſpaſium,
Eiúsque obeſt virtutibus
Anguſta res domi, ſinens
Emergere ipſum haud altiùs.
Ergo tuo Veſpaſio,
Lamberte, noſtro nomine,
Hanc adferes pecuniam,
Vmbram ſimul demouerit
Polo humidam Titonia

Coniunx; eúmq; ab omnibus
Muſis amari & diligi
Dic, &, velit ne turpiter
Fractus graui penuria
Muſas & artes linquere,
Vita & genus poeticum,
Hortare & ora ſedulò.
Et Phœbus ipſe & virgines
Nouem, tuum Veſpaſium,
Sic diligunt, ſic expetunt.
Eius venuſta carmina,
Ipſi vt ſatis pecunia
Præbere ſint promtiſſima.
Ipſa hanc tuo pecuniam
Vellem quidem Veſpaſio
Adferre, ſed nunc non licet
Anguſtiam per temporis.
Nam me BOCERVS *iam vocat*
Poeta præſtantiſſimus,
Vt dictitem ipſi carmina,
Laudet quibus Poeticam,
Tu noſter eſto nuntius.

Roſtochij, v. kalend. April.
anno 1558.

Ad

Ad Nathanem Chytræum Mentzingenſem.

Qui Laciburgiaca, longo mihi cognitus vſu,
Vrbe Nathan, χύτρας nobile nomen habet,
Huic iſtam, tenuem licet, adfer parua ſalutem
Littera, nec longas quærito iuſſa moras,
Atq; duce incolumis Chriſto quòd et auſpice Chriſto,
Leucoridos veni mœnia docta, refer,
Octipedis ſextam cancri luſtrante cauernam,
Inque nouum terras Sole ferente iubar;
Inde memor noſtri quò viuat amoris & vſûs,
Læta fronte, breui carmine, cauta roga.
Exſpectata venis, vbi dixerit ille repentè;
Quin properas noſtrum feſſa ſubire larem?
Primus amicorum, dic, quid facit ille meorum,
Cuius ades nota littera ſcripta manu?
Iámne nouo, veterem mutat Pithopœus amorem,
An vetus ille nouum vincere pergit amor?
Leucoreum Laciburgiaco præfértne Lyceum?
Albis, quàm Varni dulciùs vnda ſapit?
Tum contrà, placidè, vultum demiſſa memento
Hæc tu Chytræo verba referre meo;
Permutétne nouo veterem Pithopœus amorem,
Et vetus ille nouum vincere ceſſet amor?
Non ita. namque colit veteres conſtanter amicos,
Inque noua durat par regione fides.
Nec tamē hoc tribuens, tribuit quoq; cætera. namq;
Ante citos quantum Pegaſus exit equos,

Leucoreum veſtro tantùm præferre Lyceo,
Nil dubitat, liceat dicere vera modò,
Et velut attracto mauult decerpere ramo,
Quàm de porrecta ſumere lance pyrum,
Inque peregrinis fons ipſe eſt gratior oris,
Quàm quæ vicino profluit vnda lacu:
Sic Albim laudat prædocti flumine Varni,
Sit licet ille procul, ſit licet iſte propè;
Vſque adeò, licet ille nouus, licet iſte vetuſtus,
Pleniùs ex ipſis fontibus haurit aquas.
Illic vera, Nathan, tutò mihi credito, vita eſt.
Doctorum facit hoc copia magna virûm.
Eminet hos inter ſanctiſſimus ille Melanchthon,
Qui gerit à nigro nomina clara ſolo.
Hunc vidiſſe, huius doctrinam audiſſe Philippi,
Non renuit cunctis præpoſuiſſe bonis.
Sæpè refert, magno ſuperat dum vita Philippo,
Det mihi Leucorea Chriſtus in vrbe mori.
Felix is meritò, & nimiùm, me iudice, felix,
Hac cuicúnque datur diſcere, poſſe ſchola.
Hîc pietas, hîc ius, medicorum hîc dogmata florent,
Artes hîc ſummo ſunt in honore bonæ.
Ergo Deo magnas ex toto pectore grates
Dico pro meritis officiísque ſuis,
Quæ mihi non merita bonitate animóque paterno
Exhibuit vitæ tempore multa meæ;
Præcipuè, quòd me tempus ſeruârit ad iſtud,
Eſt quo Leucoreæ maxima fama ſcholæ,

Diui-

Diuinúmque licet coràm audiuiſſe Philippum,
Eius & adſpectu colloquiíſque frui.
Hæc ſimulac noſtro dederis reſponſa Nathani,
Huc celerem referes ad mea tecta pedem.

Vittembergæ, ix. kalend. Quinctil. anno 1558.

Ad Clementem ab Achtefelt Amersfordienſem, iuuenem ingenioſiſſimum doctiſſimúmque, & condiſcipulum gratiſſimum & iucundiſſimum.

Quam tibi Leucorea mitto Pithopœus ab vrbe,
Spero, tibi eſt, Clemens, grata futura ſalus.
Tandem Leucoreæ fugientis prendimus oras,
Iam tandem es viſus, docte Philippe, mihi;
Qui pietate, fide, & poſſit te, magne Philippe,
Arte ac ingenio vincere, nullus erit.
Viuere nunc demum incipio, cùm audire Philippum,
Et datur hîc magnos poſſe videre viros.
Queis equidē, mihi crede, adeò hæc Academia floret,
Vlla ſit vt vix huic æquiparanda ſchola.
O me felicem, ſi multos ante fuiſſent
Annos Leucoreæ mœnia viſa ſcholæ.
Quos hinc perciperem fructus & commoda quanta,
Non enarrâro verſibus illa meis.
Sed quod præterijt, volat irreuocabile tempus;
Sunt mea de lapſo tempore vota nihil.

Ergo Deo grates potiùs nunc dico, Philippum,
Quòd mihi iam tandem cernere poſſe dedit.
Téque hortor primis Clemens mihi cognite ab annis,
Et mihi germani fratris amate loco,
Leucorin vt properes quamprimùm viſere, rectè
Si cupies ſtudijs conſuluiſſe tuis.
Magna tibi hîc dabitur cernendi copia multos
Virtute inſignes ingenióque viros,
Auribus attentis quos audiuiſſe docentes,
Per totam vitam commoda multa dabit.
Præcipuè magni doctrinam audire Philippi,
Cuius Cecropium nectar ab ore fluit,
Prætulerim cunctis regum, mihi crede, triumphis,
Quásque habet innumeras India diues opes.
Namq; aurum reliqua vt ſuperat bonitate metalla,
Sic hic arte alios & pietate viros.
Audio cum reliquis quoties hunc cunque docentem,
Aetheria videor viuere in arce poli.
Huic placidam multos Chriſtus concedat in annos
Vt vitam, ſupplex ſupplice voce rogo.
In mea ſed medio curſu nunc Muſa reſiſtit,
Carmina, nec potis eſt ſcribere plura. Vale.

Vuittembergæ, IIX. kalend. Quinctil. anno 1558.

Suo

Suo Lamberto Pithopœo, Roſtochio, Vvittembergam diſcedenti.

Non ita, crede mihi, doluit deductus in oras
Naſo Tomitanas, cùm dulcia mœnia Romæ
Linqueret, atque ego nunc doleo, Pithopœe, ſodaleis
Inter prime meos, primis mihi cognite ab annis,
Quòd mihi non liceat tecum concedere in oras
Leucoreas, vbi nunc doctiſſimus ille Melanchthon
Carmina cygnæa cantat dulciſſima voce.
O ſi fata meis ſinerent me ducere vitam
Auſpicijs, nutúq; meo componere curas;
Vrbem Leucoream tecum, magnúmq; Philippum
Viſere cura foret mihi prima; ſed hanc mihi ſortem
Tempora dura negant; tu me felicior ergo,
Quò tua te virtus dudum vocat, i pede fauſto,
Clementíſq; tui ſtudijs menſámque domúmq;
Adueniens illuc prior, expedijſſe memento,
Atque iube veteres ex me ſaluere ſodaleis.

Clemens ab Achtefelt Amorsfordienſis, in vico Caſsinio, ad primum ab vrbe Roſtochio lapidem, cum lacrymis ſcripſi IV. idus Iunias, Anno 1558.

Suis in Academia Roſtochiana condiſcipulis, vitæque & ſtudiorum ſocijs S. P.

O mihi, dum licuit, gratiſſima turba, ſodales,
O mihi perpetua turba colenda fide,
Qui Laciburgiacum ſtudio vigilante Lyceum,
Et colitis Clarij munera ſancta Dei,
Quos prius ignotos, Muſarum & Apollinis artes,
Et mihi non ficto fœdere iunxit amor,
Viuite felices; ego vos (ſic fata tulêre,
Fata nimis Muſis ſemper iniqua meis)
Háncque ſacram ſedem inuitus mœſtúsque relinquo,
Et repeto patriæ rura remota meæ.
Quàm vellem, ſinerent ſi fata, manere, fruíque
Ampliùs hîc veſtris dulcibus alloquijs.
Sed quia fata vetant, prorsùs parére neceſſe eſt
Me licet hîc teneat, credite, veſter amor.
Ergo viue valéque diù diuine Bocere,
Quo non maius habet patria terra decus;
Sis memor vſque meî, nam te cultiſſime vates
Eruet è noſtro pectore nulla dies.
Tu quoque, tu, magnum cui nunc audire Philippum,
Illius & vultu colloquiíſque frui,
Contingit Senonum procul hinc in ſede vetuſta,
Leucoreæ felix commoditate ſcholæ,
Vſque mihi primos inter Pithopœe, ſodales
Primo, abſens etiam, commemorande loco,

Viue,

Viue, vale, multo nunc me felicior, atque
Sis memor vſque meî, ſum memor vſque tuî.
Túque Hermanne, tuis qui me recreare ſolebas
Verſibus, & doctis exhilarare iocis,
Veſpaſiane gerens magni cognomina Regis,
Et clari dignus vatis honore venis,
Claráque iam patriæ tandem propè mœnia Stadæ,
Exſpectas ſtudij præmia iuſta tui;
Et tu parue, vale longùm ſaluéque Chytrææ,
Qui quondam ſcriptis officioſus eras,
Cuius ſæpe legens verſus, ita dicere cœpi;
Dij tibi dent annos, tu quoque magnus eris.
Petre, ſodalitij pars iucundiſſima noſtri,
Quanta animum vexat ſollicitudo meum,
Quòd te, Cunradúmque tuum ſociósque fideles
Linquere nunc cogor, quos tua menſa fouet!
Sed citò tempus erit, cùm te fortaſsè videbo
Leucoreæ intrantem, mœnia docta ſcholæ.
Intereà lætus ſemper felíxque valeto,
Nec pigeat crebrò te meminiſſe meî;
Vósque alij, quorum ſi nomina cuncta referrem,
Multiplici charta ſcilicet eſſet opus;
Ex animi cedant vobis, precor, omnia voto,
Veſtráque ſors omni candida lite vacet;
Vósque ego, vos quoniam ſemper conſtanter amaui,
Me quoque vos ſimili ſemper amate fide,
Ac, quoties fuerit Clementis mentio facta,
Hic etiam ſocius, dicite, noſter erat.

Scribere plura vetant lacrymæ. ſine fine valete
O animæ ſocij portio magna meæ.

Veſtri amantiſsimus Clemens ab Achteſelt Amersfordienſis, Roſtochio inuitus in patriam diſcedens, flens ſcripſi Roſtochij, idibus Nouembris, anno 1558.

Quaſi præſagiens & diuinans vicinam ſibi mortem, non toto poſt ſcriptam hanc elegiam, vertente anno, Clemens hic, iuuenis inſigni facultatis poeticæ laude ornatus, & admiranda memoriæ felicitate à Deo inſtructus, immatura morte deceſſit in patria Amersfordia, anno ætatis ſuæ, ad ſummum, 21, cùm Colonia Aggrippina ad ſuos reuerſus ad iter in Academiam Vvittembergenſem ſe pararet, exſtinctus magno cum amicorum luctu & lacrymis.

Ad Iohannem Langenhain Gothanum.

Ante mihi multos primo memorande ſodaleis
Iane loco, antiquam propter amicitiam.
Hos, velut es ſolitus, placida quoque ſuſcipe mente
Verſus, & noſtri pignus amoris habe.

Heſter-

Heſterna, poſitis paullùm curíſq; metúq;
Luce, lubens tecum dulcia vina bibi;
Sermo fuit varijs noſter ludíſq; iocíſq;
Conſperſus, multo & verba referta ſale;
Maxima Stigelius noſtri, vatéſq; Sabinus
Portio colloquij lætitiǽq; fuit.
Pòſt Adelheida mea & celebris Dauentria noſtri
Sermoni cauſſam materiémque dedit.
Inſuper antiqui renouatum fœdus amoris,
Iunctáque ſunt veteri pectora noſtra fide.
Adfuit his etiam ludíſque iocíſque Iacobus,
Qui veteri eſt nobis iunctus amicitia.
Talia magnificis epulis regúmque triumphis
Gaudia, crede mihi, præpoſuiſſe velim.
Sunt curis regum turres, menſaque ſuperbæ,
Ipsáque ſunt magnis gaudia plena malis.
Noſtra nihil metuunt vnquam conuiuia damni,
Ac læti in ſtudijs viuimus vſque pijs.
Aſſiduè nobis dulces licet inter amicos
Carpere ſepoſito gaudia vera metu,
Ac feſſam ſtudijs mentem, longóque labore,
Interdum ludis & recreare iocis.
Hæc vtinam multos me continuare per annos
Gaudia Leucorea Chriſtus in vrbe ſinat.
Non ego pro doctis optarim maxima Muſis
Regna, & amat nimiùm quas leue vulgus opes.
Dant etiam æternum Muſæ poſt funera nomen,
Cultoréſque vetant interijſſe ſuos.

Ergo alacres ſtudijs ſimul incumbamus honeſtis,
Iane mihi cari fratris amate loco,
Quíque eſt nos inter ceptus Chriſto auſpice, noſtrâ
Is toto vitæ tempore duret amor.
Ac tibi, quod ſupereſt, mihi dilectiſſime Iane,
Pro meritis grates pectore gratus ago,
Méque tui memorem officij promitto futurum,
Hæc mea viuificus dum reget oſſa calor.
Intereà longam tranquillus viuito vitam,
Háſque boni nugas conſule Iane. Vale.

Vvittembergæ, IX. kal. Nouembr. Anno 1558.

Ad Nicolaum Dobbinum Roſtochienſem.

Vade ſalutatum Niclaum parua Dobinum
Littera, quem genuit nobile Roſtochium,
Vade age, nec varias tardandi nectito cauſſas.
Scis, mihi quòd veteri eſt iunctus amicitia.
Hæc quoque, cur properes, debet te cauſſa mouere,
Quòd premat ipſius languida membra dolor.
Ipſemet heſterna nam vidi luce, quietem
Quòd gratam ſtudijs febris anhela neget.
Ac procul à patria, procul amplexúque parentum,
Affligit grauiùs corpora noſtra dolor.
Multa leuare ſolet cara præſentia matris,
Quæ ſecum febris damna moleſta trahit.

In patria præbent ſolatia grata ſorores,
Atque ſtudent fratris damna leuare ſui.
Non deſunt etiam, qui conſolentur, amici,
Et minuant ludis colloquiíſque malum,
Languentem veteres viſunt gratíque ſodales,
Quáque queunt morbos arte leuare, leuant.
Præbet & auxilium genitor, nummóſq; miniſtrat,
Vt medicam præſtò, qui ferat, adſit, opem.
Ac, licet hæc deſint, gratum tamen ipſa leuamen,
Solaménque mali patria præbet humus.
Vſque adeò cunctis patriæ præſentia terræ
Grata eſt, ſiue datur viuere, ſiue mori.
Quàm ſit in externa morbis regione grauari
Difficile, expertus dicere quiſque poteſt.
Dulcis abeſt genitrix, genitor, dulcéſque ſorores,
Sæpè & abeſt, medica qui leuet arte malum.
Vtque ſit interdum medica benè doctus in arte,
Pharmaca qui rectè grata parare queat,
Sæpe tamen nobis argenti copia deſit,
Atque premit nimiùm nos mala pauperies.
Rarus erit medicus, qui viſere curet egenum;
Si deſint nummi, pharmaca nulla valent.
Denique quis paucis poſſit comprendere verbis,
Morbi extra patriam quàm mala multa ferant.
Prò dolor, in quantis vitam Niclae *periclis*
Ducimus Aonio turba dicata iugo.
Conſpectu patriæ, matríſque patríſque carendum,
Eſt & in externis vita trahenda locis.

Nos mala pauperies vexat,ſcabiéſque moleſta;
Langueſcunt variјs corpora noſtra modis.
Nec ceſſat noſtræ ſceleratus tendere dæmon
Inſidias vitæ,multiplicéſque dolos.
Sed ſatis hæc. aliquod ſolamen ferre Dobino
Noſtrum erat,in febri,littera propoſitum.
Si potes,ergo meum veterem ſolare ſodalem,
Et quàcunque potes parte iuuare,iuua.
Noſtra,refer,caſu non lædunt corpora morbi,
Sed nutu lædunt conſilióque Dei,
Qui variјs ſanctos ſolet exercere periclis,
Sæpè etiam valdè deſeruiſſe ſuos,
Haud equidem, vt perdat ,ſed vt hoc certamine monſtret,
Sperandum à ſolo præſidium eſſe Deo.
Hæc quoque Nicoleo trades præcepta Dobine,
Ipſum quò febris linquat amara citò;
Principiò ad Chriſtum (medicus fidiſſimus ille eſt)
Ex toto aſsiduas pectore funde preces;
Tranquillam retine mentem,tacitúſque dolores
Et procul ex toto pectore pelle metum;
Concoctu facilem & modicum potúmque cibúmq;
Nicolee vt ſumas,altera cura ſiet.
Huic niſi conſilio parere Dobine recuſas,
Paullò pòſt firmo corpore ſanus eris.
Hæc vbi Nicoleo dederis mandata Dobino
Littera,mox noſtram rurſus adito domum;

Diſceſ-

Diſceſſura tamen, verba hæc recitare memento,
Nicolee incolumis perpetuúmque Vale.

Vvittembergæ, IV. idus Nouembr. anno 1558.

Ad meum Clementem ab Achtefelt.

Veterem, breues Iambici, Achtefeltium
Meum ſodalem viſite,
Amsfordica nunc fortè qui intra mœnia
Caras apud virgunculas,
Commilitones aut apud veteres ſuos
Optata carpit gaudia,
Et oſculis, & poculis, & ſuauibus
Sermonibus & amplexibus.
Quid hoc? vereor equidem, breues Iambici,
~~Opinio~~ ne fallat hæc. opinio
Laciburgica ſæpiſsimè vos in ſchola
Vidiſtis ipſi, carmina
Quanto ſoleret ſcribere ſtudio, ſacros
Et vſque vates voluere
Hic noſter Achtefeltius. Dubium nihil
Eſt igitur, hæc in patrijs
Quin excolat nunc mœnibus ſtudia, pari,
Vt antè, diligentia.
Sic ergò potiùs debuiſtis ſcribere;
Qui mœnia intra maxima
Amsfordiæ, canit nouem ſororibus,
Heliconis almum verticem

Colentibus pia & elegantia carmina,
Vatúmque ſcripta perlegit;
Quidquid tamen aget noſter Achtefeltius,
Seu ludet inter virgines,
Dulcíque amicæ blanda figet oſcula,
Seu cum ſuis ſodalibus
Plenam Falerno exhauriet pateram mero,
Seu docta ſcribet carmina,
Vatúmue ſacrorum leget poemata,
Omni metu vos liberi,
Pulſate noſtri limen Achtefeltij,
Et hoſpites vos dicite.
Pithopœo vt eſſe vos Iambicos ſibi
Achtfeltius miſſos ſciet,
Vobis recludet ipſe primus ianuam,
Lætúsque vos intrò hoſpites
Adducet, & longa moleſtia viæ
Feſſos, fouebit omnibus
Vos hoſpitalitatis officijs, iubens
Plumis ſedere mollibus,
Et apparato prandio promet merum
Cum delicatis ferculis,
Addétque ludos, & iocos, & carmina;
Fortaſſis & puellulas
Amsfordicas adducet in conuiuium,
Vobíſque iunget proximas,
Quæ vos ſua præſentia & ſermonibus
Exſuſcitent ad gaudium.

Sic

Sic vos vbi recreauerit ſuauibus
Confabulationibus,
Mox Achteſeltio meo vos gratias,
Quantas poteſtis, dicite,
Quòd vos breues Iambicos tam molliter,
Tam ſuauiter tractauerit;
Multam ſalutem deinde noſtro Achtfeltio,
Verbis precamini meis,
Et Vvitteberga vos venire dicite
Ex officina Clugia,
Miſſos ab optimo procul ſodalium
Clementis Achtefeltij.
His ſic peractis ordine, Achtefeltio
Exponite hæc breuiſſimè;
Tuus ille Pithopœus ſodalium omnium
Primus tuorum & intimus,
Adhuc Dei beneficio rectè valet,
Amátque Muſarum choros.
Miratur at tanto nihil cur tempore
Achtfeltius reſcripſerit.
Nec fors minùs mirum tibi videbitur,
Quòd iam tibi narrabimus;
Laciburgica quas ſcripſeras tu litteras
In vrbe Pithopœo tuo,
Ad proximam iduum Nouembrium diem,
Februarijs tandem idibus
Accepit ipſe, incuriam per nuntij,
Cui litteras commiſeras.

Nihilominus grata Achtefeltij tamen
Pithopœo erant hæ litteræ.
Lætiſſimum namq; adferebant nuntium,
Hanc cum Gerardo te breui
Academiam ſtatuiſſe tandem viſere, &
Magni pio Melanchthonis
Vultu & frui doctiſſimis ſermonibus,
Sacríſque lectionibus.
Hoc gaudet ex animo, & vt adſitis, rogat
Vos plurimùm, citiſſimè.
Te namque plus deſiderauit millies
Videre, tecum & colloqui,
Tuóque cum fratre & ſuo cariſſimo
Gerardo amico. Rumpite
Ergo morarum occaſiones omnium,
Et huc ad Albim tendite,
Properate & hac mecum Achtefeltij in ſchola,
Magni illius Melanchthonis
Coràm pias doctáſque voces diſcere,
Dum datur adhuc occaſio,
Magnóque vita ſuppetit Melanchthoni,
Nec vos facultas deficit.
Pithopœus inſuper tuus ſuauiſſimè
Viuit ſacris cum vatibus.
Poeta Schofferus nec ipſum diligit,
Vatéſque Caſelius minùs,
Phœbo & nouem gratiſſimus ſororibus,
Quàm te Bocerus diligit.

Ser-

Sermonibus præſtantium dulciſsimis
Horum ille vatum, cum lubet,
Doctiſsimíſque carminibus, & mollibus
Deambulationibus
Lætus fruitur, & diſputationibus
Poeticiſque gaudijs.
Studia adiuuant illius atque promouent
Hi ſedulò & fideliter,
Pithopœum & altiùs ſtudent extollere,
Et ad Philippum prædicant.
Iam dicta præter, nuntium nouum tibi,
Clemens ferimus Achtfeltie,
Pithopœus auctus eſt nouis honoribus
Academia in Vitebergica.
Nam proxima Februarij decima die
Sextáque, cum reliquis, vides
Quorum ſeorſim hîc annotata nomina,
Ornatus ipſe publicè eſt
Nouo Magiſterij Philoſophici gradu,
Congreſſu in ornatiſsimo.
Hac in re eum Schoſſerus & Caſellius
Iuuêre prompti plurimùm.
Achtfeltio hæc nos quàm breuiſsimè breues
Iambici narrauimus.
Gratiſsimum quòd hunc futurum nuntium
Certò tibi confidimus.
His ſic, Iambici, peractis omnibus,
Dictíſque ritè gratijs,

Meóque dextra præbita Achtefeltio,
Valéque dicto comiter,
Rebus relictis omnibus,velociter
Huc doctum ad Albim tendite,
Noſtrísque maturè Achtefeltijs domum &
Menſam parate commodam.

Vvittembergæ,11x kalend.April.
anno 1559.

Ad Hermanuum Veſpaſium.

Ante nouem quamuis miſi tibi carmina menſes,
A te nulla tamen littera ſcripta redit.
An cepêre tuam iam noſtrî obliuia mentem,
Nuper amicorum qui tibi primus eram?
Sed nil tale mihi metuo.pia pectora vatum
Conſcia non tanti criminis eſſe ſolent.
Ergo tuo paruas Pithopœo ſcribe tabellas,
Liber ab hoc vt ſim,Veſpaſiane,metu.
Quod primo facias vt tempore,paucula ſcribo
Iam tibi de vitæ conditione meæ,
Quæ licet ex alijs forſan cognoueris,ipſe
Si tamen hæc referam,gratius eſſe puto.
Carmine diuinum cœpi rogitare Philippum,
Mox vt in hanc veni,Veſpaſiane,ſcholam,
Auxilium vt Muſis Pithopœi ferret egenis,
Irrita nec dudùm vota fuêre mea.
Obtulit officium mihi Correctoris,& abſque
Hîc dedit impenſis diſcere poſſe meis;

Car-

Carmináque vt noſtri iucunda fuêre Boceri,
Sic mihi Schoſſeri, Caſeliíque placent.
Hi quia ſunt vero iuncti mihi pectore, vitam
Hîc equidem à Muſis non alienus ago,
Ac, niſi ſuſceptos linquat fortuna labores,
Edita Lamberti carmina fortè leges;
Quósque tibi mitto ſcriptos ex ordine, nuper
Leucorea hac ſolito hos auxit honore ſchola.
Hos inter veteris cernis quia nomen amici,
Dic, equidem ſocij lætor honore mei.
Hic iucundus erit quoniam tibi nuntius, eſſe
Officium duxi ſignificare meum;
Magnáq; quamtúmuis non mittam munera, mitto
At tamen à ſtudijs non aliena tuis.
Hæc igitur læta capies munuſcula fronte,
Et tibi erunt fidei pignora certa meæ.
Roſtochio Clemens abijt, venturus & ipſe
Leucoream multò ſcripſit vt antè, ſcholam.
Hæc ideò retuli tibi, Veſpaſiane, vt amicum
De vita doceas condicione tua.
Feceris officium vix hoc mihi gratius vllum;
Hac ſtudium deerit nec tibi parte meum.
Viue memor noſtrî; tuus haud è pectore vultus
Labetur noſtro, Veſpaſiane. Vale.

Vvittembergæ, v. kalend. April. anno 1559.

Elegia ad Vincentium Mylothrum, ſcripta nomine & rogatu Alexandri Vvalthouij.

Quam dilectæ fero tibi nunc, Myllothre, ſalutem,
Hæc mihi non tribui, te niſi dante, poteſt.
Te grauiora licet curare negotia nôrim,
Dum tibi commiſſa munera ſortis agis;
Attamen hæc varijs, precor, vt de pectore curis
Sepoſitis, placida carmina mente legas,
Quæ, quia me noſtri memorem teſtantur amoris,
Non Myllothre tibi diſplicitura puto.
Sed, ne fortè nimis longis ambagibus errem,
Propoſiti quæ ſit, percipe, ſumma mei.
Vt Myllothre, lubens fateor, ſic vſque fatebor,
Maxima contuleris quòd mihi ſæpè bona.
Ille tuus me erga, longinqui temporis vſu,
Candor, & integritas eſt mihi nota tua,
Quámque meis faueas ſincero pectore Muſis,
Nil opus eſt iſto commemorare loco.
Me doctas etenim placidis cum moribus artes
Magna tibi quondam cura docere fuit.
Sæpè tuum dubio ſtudiúmque fidémque probaui
Tempore, cùm promtam ſors mea ſenſit opem.
Commoda multa tuum præſens abſénſque fauorem
Rebus & experior maxima ferre meis.
Tunc quoque, cùm Muſis tecum, Myllothre vacarem
Hîc, vbi Leucoreos Albis oberrat agros,

Me

Me ſolito facilis complectebaris amore,
Et mihi conſtanti pectore iunctus eras.
Hæc equidem magnam laudem benefacta merentur,
Ex animi quæ ſunt orta fauore tui;
Aſt inopi nimiùm manant mea carmina vena,
Et ſunt ad laudes non ſatis apta tuas.
Vires, non animus, deſunt, & promta voluntas,
Vt meritis ſcribam carmina digna tuis.
Quamuis ergo pares vnquam tibi ſoluere grates
Officij nequeam ſedulitate mei;
Vſque tamen memori renouans tua munera mente,
Qua potero promtus te pietate colam.
Hæc, Myllothre, mei pia declaratio cordis,
Non dubito, quin ſit grata futura tibi.
O ſi cuncta meæ tàm læta negotia vitæ
Sint modò, vt hîc poſſem dicere dulce vale.
Non turbare meis equidem, Myllothre, querelis
Te cuperem, curas nec geminare tuas;
Sed quia me turbant odioſa negotia, poſſim vt
Haud ſolito ſtudijs more vacare meis;
Inuitum, mihi crede, grauis nunc vrget egeſtas
Me tibi de rebus ſcribere plura meis.
Ac precor, hæc ſolito relegas, Myllothre, fauore,
Quámque peto ſtudijs (nam potes) adfer opem.
Si mea difficilis fuit vllo tempore vita,
Hoc eſt difficilis tempore vita mihi.
Vix ego, vix vnquam fieri potuiſſe putaui,
Vt mea tot curis obruta vita foret.

Elegia ad Vincentium Mylothrum, ſcripta nomine & rogatu Alexandri Vvalthouij.

Quam dilecte fero tibi nunc, Myllothre, ſalutem,
Hæc mihi non tribui, te niſi dante, poteſt.
Te grauiora licet curare negotia nôrim,
Dum tibi commiſſa munera ſortis agis;
Attamen hæc varijs, precor, vt de pectore curis
Sepoſitis, placida carmina mente legas,
Quæ, quia me noſtri memorem teſtantur amoris,
Non Myllothre tibi diſplicitura puto.
Sed, ne fortè nimis longis ambagibus errem,
Propoſiti quæ ſit, percipe, ſumma mei.
Vt Myllothre, lubens fateor, ſic vſque fatebor,
Maxima contuleris quòd mihi ſæpè bona.
Ille tuus me erga, longinqui temporis vſu,
Candor, & integritas eſt mihi nota tua,
Quámque meis faueas ſincero pectore Muſis,
Nil opus eſt iſto commemorare loco.
Me doctas etenim placidis cum moribus artes,
Magna tibi quondam cura docere fuit.
Sæpè tuum dubio ſtudiúmque fidémque probaui
Tempore, cùm promtam ſors mea ſenſit opem.
Commoda multa tuum præſens abſénſque fauorem
Rebus & experior maxima ferre meis.
Tunc quoque, cùm Muſis tecum, Myllothre vacarem
Hîc, vbi Leucoreos Albis oberrat agros,

Me

Me ſolito facilis complectebaris amore,
Et mihi conſtanti pectore iunctus eras.
Hæc equidem magnam laudem benefacta merentur,
Ex animi quæ ſunt orta fauore tui;
Aſt inopi nimiùm manant mea carmina vena,
Et ſunt ad laudes non ſatis apta tuas.
Vires, non animus, deſunt, & promta voluntas,
Vt meritis ſcribam carmina digna tuis.
Quamuis ergo pares vnquam tibi ſoluere grates
Officij nequeam ſedulitate mei;
Vſque tamen memori renouans tua munera mente,
Qua potero promtus te pietate colam.
Hæc, Myllothre, mei pia declaratio cordis,
Non dubito, quin ſit grata futura tibi.
O ſi cuncta meæ tàm læta negotia vitæ
Sint modò, vt hîc poſſem dicere dulce vale.
Non turbare meis equidem, Myllothre, querelis
Te cuperem, curas nec geminare tuas;
Sed quia me turbant odioſa negotia, poßim vt
Haud ſolito ſtudijs more vacare meis;
Inuitum, mihi crede, grauis nunc vrget egeſtas
Me tibi de rebus ſcribere plura meis.
Ac precor, hæc ſolito relegas, Myllothre, fauore,
Quámque peto ſtudijs (nam potes) adfer opem.
Si mea difficilis fuit vllo tempore vita,
Hoc eſt difficilis tempore vita mihi.
Vix ego, vix vnquam fieri potuiſſe putaui,
Vt mea tot curis obruta vita foret.

Nulla, vel arcta mihi tranſmiſſa pecunia longo
Tempore, turbatas res facit eſſe meas,
Magnáque ſollicitam reddunt mihi debita mentem,
Quæ ſine ſunt culpa grandia facta mea.
Sufficiens eſſet ſi miſſa pecunia iuſto
Tempore, non mea tàm debita magna forent.
Nunc me quottidie verbis obtundit amaris
Hoſpes, méque ſibi perſoluiſſe iubet.
Addit ſæpè minas & ſæuæ iurgia linguæ,
Quæ mihi vix vllo ſunt toleranda modo.
Ipſe ſatis noſti, nummûm ſi copia deſit,
Quàm grauis hîc & quàm vita moleſta ſiet.
Quid faciam? deſunt, quîs ſoluam debita, nummi,
Non eſt, optatam qui mihi præſtet opem.
Deſperata ſalus mea, ni, Myllothre, relinquat
Hæc animum tandem ſollicitudo meum.
Ergo iuua, Myllothre, iuua, fac, obſecro, poſthac
Auxilio poſſim lætior eſſe tuo,
Tutorésque meos, ne tardent mittere nummos,
Quîs ſemel exſoluam debita cuncta, mone.
Fac, properent. adfert magnum dilatio damnum.
Hæc res ignauæ fert malè damna moræ.
Sed mea creuerunt tantùm quia debita, poſſint
Vt reditus hac non perſoluiſſe mei,
Tutores hortare meos, vt demere nummos
Et mihi de reliqua mittere ſorte velint.
Flagitat hoc rerum ratio, Myllothre, mearum.
Debita non aliter ſoluere cuncta queo.

Ipſe

Ipſe meis eadem ſcripſi tutoribus; illi
Sed mihi, quod cupio, te mediante dabunt.
Ergò velis ſolito mea promouiſſe fauore
Commoda; res ſtudio læta ſit iſta tuo.
Sic tranquilla tuæ faciat Deus omnia vitæ
Tempora, ſic ceptis annuat vſque tuis.

Vvittembergæ, kalend. Maijs,
anno 1559.

Fabula de hœdo & lupo, in ſuſcepto copiæ & variandæ orationis certamine cum meo Hermanno Veſpaſio, ingenij excitandi & exercendi, animíq; recreandi cauſſa, diuerſo carminis genere expreſſa.

1. *Fortè ſuper celſi ſtans hœdus culmine tecti,*
Cum rabidum præter cerneret ire lupum,
Multa, loco fretus, conuicia iecit in hoſtem.
Huic lupus hos contrà reddidit ore ſonos;
Non equidem laſciue mihi tu talia probra,
Sed quo iam latitas, obijcit, hœde, locus.

Epimythion.

Cùm timidus fortem petulanti voce laceſſit,
Temporis id præſtat commoditáſque loci.

2. *Altiſſima fortè hœdulus*
Cùm parte ſtaret ædium,

Et tranſeuntem cerneret
Lupum, probris hunc impetit
Conuiciiſque turpibus.
At huic lupus reſpondit hæc
Conuicijs nil motus his;
Imbellis hoſtis hœdule,
Tanta vnde confidentia
Tibi eſt? tuíſne viribus
Confidis? ò leuiſſime,
Non tu mihi nunc, hœdule,
Conuiciâre, ſed locus,
Quo te vides defendier.

Iucunda nos hæc fabula
Præſtantiores admonet
Contrà, lócum cum tempore
Præbere ſæpè audaciam.

3. *De celſa adſpiciens domo petulcus*
Hœdulus rabidum lupum, laceſſit
Dictis hunc petulantibus, probríſque.
Mox ridens lupus hæc reponit hœdo;
Non tu me, timidiſſime hœde, probris
Tantis nunc oneras, domus ſed iſta,
Quæ te tàm modò reddit inſolentem.
Iſthæc nos docet elegans breuíſque
Fabella, à timidis potentiores
Laceſſi petulante voce, tempus
Si quando & locus offeratur aptum.

Altis fortè vagans hœdus in ædibus
Cùm tranſire lupum cerneret horridum,
Hoſtem criminibus prouocat aſperis,
Permultis lacerans opprobrijs lupum.
Ridens alloquitur mox lupus hœdulum,
Non conuicia tu conijcis improbe,
In me tanta leuis, tantáque crimina,
Aſt, in quo latitas, hœdule, nunc, locus.

Iſthæc ſignificat fabula, ſcommatis,
Fortes à timidis, grandibus impeti,
Cùm tempus datur & commoditas loci.

Hœdulus celſa petulans ſalâxque 5.
De domo cùm fortè lupum ferocem
Cerneret, probris onerauit hoſtem
Prætereuntem,
Nec modum dictis poſuit proteruis.
Hœdule, huic contrà lupus, ò petulce,
Obijcis non tu mihi tanta probra,
Sed locus, inquit.
Hæc monet fabella facetè, fortes
Sæpè ab ignauis, locus atq; tempus
Commodum ſi fors datur, arroganti
Voce laceſsi.

Forte petulcus 6.
Stabat in altis
Aedibus hœdus,

Cùm lupus illas
Præterit atrox.
Nec mora, viſo
Hoſte, proteruus
Hœdus, in ipſum
Fundit acerba
Milléque probra.
Mox lupus; audin'?
Non mihi tanta
Tu maledicta
Obÿcis, hœde;
At locus, in quo,
Improbe, tutum,
Me modò contra,
Cernis ab omni
Te eſſe periclo.

A timidis hæc
Parua potentes
Fabula tradit
Voce laceſſi
Sæpè proterua,
Si locus aptus,
Commoditásque
Temporis adſit.

Olim petulans ſuper altis
Stans ædibus hœdus, atrocem
Cùm fortè lupum ire videret

Præ-

Præter probra turpia mille,
Et crimina plurima in hoſtem
Mox deſuper ingerit. aſt hunc
Ridens lupus inſit ad hœdum;
Non tu mihi crimina tanta,
Laſciue modò obijcis, at nunc
Qui te locus, hœde, tuetur.

Hæc nos breuis atque venuſta
Fabella docet, maledictis
Forteis petulanter acerbis
Sæpè à timido nebulone
Proſcindier & lacerari,
Si commoda temporis adſit
Occaſio fortè locíque.

Ὑψηλοῦ ἔριφός ποθ' ὕπερθεν δώματος ἑστὼς,
Δεινῶς λοιδορέεν τὸν παριόντα λύκον.
Ὁ δὲ γελῶν, Οὐ σὺ σκώπτεις ἐμὲ, ὦγαθὲ, εἶπε,
Ἀλλὰ τόπος. μύθου τὶς νόος ἐστὶ φρυγός;
Ἀνδράσι χρηστοῖσιν τοὺς φαύλους λοιδορέεσθαι
Καιρὸς ἐποτρύνει πολλάκις ἠδὲ τόπος.

Roſtochij, menſe Martio, anno 1558.

Apologus de Ruſtico, Serpente, & Vulpecula, ad Generoſum eruditæq; pietatis ſtudioſum D. FABIANVM à REDERN, Baronem in Fridtlandt & Seidenbeeck, &c.

Quam vides verſu Generoſe Baro,
Fabulam ſcriptam tenui, benignus
Perlegas, oro, tibi certa quò ſit
Regula vitæ.
In gelida quondam requieſcere ruſticus vmbra
Dum cupit, & longa membra leuare via,
Conſpicit obſcuro patulæ ſub tegmine quercus,
Vndique quem mollis cinxerat herba, cauum.
Hunc ſuper, ingenti coniectum pondere ſaxum,
Mox capiti fertur ſuppoſuiſſe ſuo,
Et teneras viridi commiſcens gramine frondes
Emolliſſe ſitum duritiémque loci,
Vicinóque leuem decerpens cortice muſcum,
Ipſe ſibi facilem compoſuiſſe torum.
Sic ſuper obſtructò porrectus ſuauiter antro,
Otia ſecuræ blanda quietis agit.
Fortè ſed hoc ipſum prorepſerat anguis in antrum,
Illius allectus commoditate loci.
Tutus ab inſidijs & frigore gratus opaco
Hic requiem & dederat pabula ſæpè cauus.
Ruſticus optato reſolutus lumina ſomno,
Hoc anguem clauſum neſcijt eſſe loco.

Captus

Captus vt id ſenſit ſerpens, mox, quiſquis es, inquit,
Adfer opem vitæ ſubſidiúmque meæ.
Ruſticus euigilans, ſeruatæ præmia vitæ
Hæc dabis, vt vitæ ſis mihi peſtis, ait.
Hic clauſas reclude fores, tibi gratia ſummis
Pro meritis reddi quæ ſolet, inſit, erit.
Credule, ſeruatus, nimiùm mihi ruſtice, ſerpens,
Pro vita, dicit, mors tibi munus erit.
Ruſticus huic cõtrà; Quid? an hæc promiſſa fides eſt?
Cui ſerpens; Dictam, ruſtice, præſto fidem.
At tibi vim fieri ne dicas, iudice quouis
Certabo; quouis iudice, lite cades.
Fortè macer ſterili paſcens equus errat in agro,
Iudicis hunc cupijt ruſticus eſſe loco.
Ille ego, qui quondam duris, equus inſit, in armis,
Pro domino ſenſi tela cruenta meo,
Nunc miſer in campos abigor. Sic peßima ſemper
Gratia pro ſummis redditur officijs.
Ruſticus, haud equidem placet hæc ſententia, iudex
Alter pace tua conſtituatur ait.
Annuit huic ſerpens, ceptam canis ergo iubetur
Iudicio litem compoſuiſſe ſuo.
En, ait hic, magno qui quondam ſæpè labore
Quæſiui domino fercula lauta meo,
Nunc pulſus, macie pereo. Sic peßima ſemper
Gratia pro ſummis redditur officijs.
Ergo legitimis victum te, ruſtice, cernis
Iudicijs, ſerpens, iam moriêre, refert.

Vulpis,in hoc dubia tandem certamine litis,
Ruſticus optato tempore ſenſit opem.
Quæ ſimul audiſſet litem,clàm,ruſtice,dicit,
Tu me,ne metuas,iudice.ſaluus eris,
Sic tamen,vt mihi pro ſeruata munere vitæ,
Promittas gallos te dare velle tuos.
Vt ſolitum redeat ſerpens,curabo,ſub antrum.
Tu ſaxis antri ruſtice claude forem.
Pacta placent.Vulpes ſerpentem callida dictis,
Diſsimulans fraudem talibus aggreditur;
Nulla mihi domus eſt,quæ ſæuos arceat imbres,
Inde meam lædunt frigus hiémsque cutem.
Si placet ergo,tuum ſerpens,ſubeamus in antrum.
Iudicio locus eſt aptior ille meo.
Ingreditur ſolitum ſerpens cum vulpe ſub antrum.
At celeri vulpes effugit inde gradu.
Ruſticus occludit ſaxis ingentibus antrum.
Sic propria ſerpens impietate perit.
Tum verò lætus defenſæ munere vitæ,
Hæc vulpi,blando ruſticus ore refert;
Quos tibi promiſi,vulpes fidiſsima,gallos,
Veſper vbi accendet lumina prima,feres.
Ruſticus vxori rediens hæc ordine narrat,
Sed pluris gallos,quàm facit illa virum,
Et miſeram dicto venientem tempore vulpem
Excipiens,duro ſtipite ſæua necat.

Epi-

Epimythion.

Fac benè, nec ſpera hinc tibi præmia. Peſſima ſemper
Gratia pro ſummis redditur officijs.

Eitelbergæ, 3. Nonas Februarias, anno 1566.

In Poema Saxonicum REINIKE VOSS DE OLDE, ad ornatiſsimum pietate, modeſtia, eruditione, & generis nobilitate iuuenem, D. ADRIANVM BORCK POMERANVM.

Hunc tibi Pithopœus, Adriane
Iucundiſsime, de nota libellum
Commendo meliore, dóque dono,
Vt lectum quater, & quater relectum
Altè ſenſibus intimis reponas.
Eſt hoc Saxonica quidem poema
Deſcriptum (quis enim negare tentet,
Quod res indicat euidenter ipſa?)
Lingua, Reinike Voß de Olde dictum:
At ſi quîs facileis & eleganteis
Rhythmos, & numeros ſua fluenteis
Sponte, alti & placidi inſtar amnis, aucti
Hiberna niue, & imbre continente,
Nil durum in quibus eſt, nihil coactum;
Et poematis huius expolitam

Totam totius elocutionem,
Non præiudicio occupatus vllo,
Attenta meditatione ſpectet;
Et aptam ſeriem ordinémque rerum
Toto carmine ritè ſingularum
Expendat tacitus frequénſque verſet,
Quanta ſollicitudine atque cura,
Quiſquis carminis huius eſt poeta,
Omni ex parte poeticum decorum
In cunctis animantibus laboret
Expreſſiſſe bonis vbique verbis,
Cuiúſque ingenij, loci, ſtatúſque,
Ortus, temporis, atque dignitatis,
Conſuetudinis & negotiorum,
Aetatum, officij, ſodaliúmque,
Perſonæ ſtudiíque, ceterarum
Et circum ratione ſtantiarum
Seruata; egregiámque perſpicacis
Et raram ingenij ſagacitatem,
Ac motus celeres & excitatos,
Acuménque nouum atque ſingulare
Arguté inueniendi & eruditè,
Tàm bellum, lepidum, decens venuſtum
Figmentum; inſuper & facetiarum,
Iocorúmque modos amœniorum
Sexcentos, ſale ſparſa multo & acri
Ac mordacia dicta, quæ legentum
Profundè penetrant & audientum

Men-

Menteis vi tacita, ſed efficace,
Non ſine eximia ſuauitate;
Et riſus hilaris ſub inuolucro,
Mira calliditate veritatem
Tectam, in tempore μαλθακῶς peritam
Σκληρὰ dicere apud potentiores,
Contra quos nimia ſeueritate,
Candidáque nimis, nimíſque aperta
Morum ſimplicitate, liberóue
Sermonis nimiùm rigore, nunquam
Quidquam proficias, agáſque rectè;
Aequam quin etiam bonámque cauſſam
Agendo malè, vel malè eloquendo,
Non rarò facias malam atque iniquam.
Hæc, inquam, volet, Adriane, in iſto
Si vel ſingula quis, vel vniuerſa
Libro, non obiter, nec oſcitanter,
Sed crebrò repetita, & erudito
Digna ac conueniente lectione
Obſeruare, fidelitérque ſecum
Ponderare; meo quidem videbit
Ille iudicio; fatebitúrque
Lubens, poſſe poema comparari
Hoc, cuiuis veterum aut recentiorum
Scriptorum, Latio, ſonóue Græco,
Genti Teutonicæ vel vſitato,
Quotquot materiam ſuopte Marte,
Seu certis numeris, metróque certo,

Seu nullis numeris, metróque nullo
Tractârunt ſimilem, ſuíque doctis
Cenſendum ingenij edidêre fœtum.
Ergo volue, reuolue diligenter
Et ſæpè, hanc lepidam, modúmque ſupra
Bellam, me monitore, verſipellis
Vulpis Reinike (qua magis diſertus
Et vafer veterator alter, vnquam
Non fuit, nec erit, nec eſt, daríque
A nullo poterítue cogitari)
Fabellam, ſub imagine eleganti
Carentum ratione beſtiarum,
Quales ſunt Leo cum ſua Leana,
Cum lupa lupus, & doloſa Vulpes,
Quæ palmam reliquas in hoc theatro
Omnes obtinet inter & triumphum,
Tum melis, ſocia & comes fidelis
Vafræ vulpis, equíque contumaces,
Cúmque vrſo, timidus lepus, caníſque,
Et ſimplex aries, vagúſque felis,
Cúmque hircis olidi greges caprarum,
Tum turpes quoque ſimiæ, atque aſellus
Infelix animal, voráxque coruus,
Anſérque improbus, & ſiticuloſa
Cornix, excubitórque gallus, atque
Pica garrula, grus, ciconíaque,
Et quas prætereà referre, longum,
Quæ, tanquam in tabula, tibi, petentis

Ad viuum exprimit atque pingit aulæ
Mores, ingenium, dolos & arteis;
Ex qua, ſimplicitas, amórque recti,
Cum pudicitia pudor, fidéſque,
Et cum iuſtitia æquitas, Deíque
Timor ſerius, & decorus ordo in
Cunctis conſilijs, negotiíſque,
Et cum ſobrietate temperatus
Omnium, quibus hæc carere, rerum,
Vita non potis eſt, & æquus vſus,
Candórque haud aliud tegens doloſo
Clauſum pectore, quàm reuelet ore,
Et conſtantia, conſcientiáque
Bona, & debita cura veritatis,
Tuendíque probos & innocenteis
Sincerum ſtudium, manúſque promta
Vim contra, inſidias & improborum;
In ſumma, pietas, & omne honeſtum
Exſulare procul iubentur vſque
Extremos Garamantas atque ad Indos:
In qua, calliditas amórque praui,
Impudicitia, impudentia, atque
Fides perfidioſa, iniquitáſque,
Cúmque iniuſtitia, Dei profanus
Contemtus, manifeſtus inter omnes,
Infandúſque atheiſmus, & ſupina
Omnis relligionis, & futura
Vitæ irriſio, nullus inferorum

Metus,ſupplicijque ſempiterni,
Atque ἀταξία turpis & pudenda in
Cunctis conſilijs,negotijſque;
Quîs regni tamen atque ſubditorum
Salus,gloria,vita continetur;
Tum fœda ebrietas,modíque luxus
Omnis neſcius,atque temperati
Rerum vſus,hominum quibus carere
Vita non potuit,poteſt nec vnquam,
Liuórque vſque aliud tegens doloſo
Clauſum pectore,quàm reuelet ore,
Promta dextera,ſed minax ſiniſtra,
Lingua blandula,fraudulenta corda,
Verba ſplendida,ſplendidæque nugæ,
Promiſſa aurea,deſtituta rebus,
Et ſophiſmata melle tincta dulci;
Inconſtantia,conſcientíæque
Bonæ,curáque nulla veritatis,
Immò ardens odium,calumníæque,
Et mendacia;& improbi ſuſurri,
Premendíque bonos & innocenteis
Quæſitum ſtudium;labórque ſuauis;
In ſumma,impietas,& omnis aſtus
Sunt ſummo in pretio,valent,vigéntque,
Regnant,imperium & tenent ſupremum,
Καὶ πράττει ὁ κόλαξ ἀεὶ ἄριστα,
Ἐν δὲ δεύτερα πᾶσι συκοφάντης.
Hæc noſſe omnia,&,Adriane,primus

Ab annis memori tenere mente,
Ex hoc vel ſimili petita libro,
(Quamuis, iudice me, libellus iſte
Hac in materia antecellit omnes)
Salus, vtilitásque ſumma cunctis
Eſt, ſed præcipuè, benignitate
Dei, nobilibus, potentibúsque,
Quibus contigit eſſe procreatos
Ex auis, atauis, parentibúsque,
Vt artes varias, dolósque miros
Atque incredibileis potentis aulæ,
Et venena liquore tecta ſuaui,
Diſcant, non proprio malo ſuâque,
Stultorum, experientia, magiſtra;
Sed ex hac ſpeculo velut nitente,
Vulpis Reinikæ fabula doloſæ.
Feciſſe ex aliis pericla ſcitum eſt,
Ex vſu tibi quæ fient, bonóque.
Ergo conſpicuum, Adriane, gentis
Antiquæ celebrísque Borckiorum
Decus, præſidiúmque dulce quondam
Et magnum columen future, vitam
Si longam tibi, quod precórque & opto,
Valentémque benigna prorogârit
Dei dextera temperantis æquo
Terras imperio, fretúmque, & aſtra,
Quando tu quoque nobili atque longo
Stirpis ſanguine, ſtemmatiſque auorum

Cenſeris,generis tui vetuſtum
Splendorem,propria ſtude tueri
Virtute,vt facis,integráque vita,
Et perge egregia eruditione
Ornare & pietate,moribúsque
Caſtis,ingenuis,probis,modeſtis,
Ac fuga ebrietatis atque luxus;
Et hac in viridi tua iuuenta,
Dum vires animi ſinunt,ſuóque
Stant adhuc ſolidæ tibi integræque
Vires robore corporis,metúmque
Extra omnem poſitus periculorum,
Libérque à grauium negotiorum
Mole difficili & laborioſa,
Nec curis animum domus alendæ
Diſtentus varijs edacibúsque,
Vni viuis adhuc tibi quietus,
Securúsque,quid orbis in remota
Parte,Cantaber atque bellicoſus
Schytes cogitet, & nouos tumultus
Cui paret metuendus enſe & arcu,
Cum iucundo hilaris legis ſodali,
Honeſta recreatione mentis,
Senſibus vacuis & otioſis,
In molli torulo,cubiculóue
Solo,virginibus nouem ſacrato,
Aut grata patulæ arboris ſub vmbra,
Ad riuum tremulæ ſupinus vndæ,

Herba

Herbæ graminis incubans tenacis,
Cum nota interioris aut Falerni,
Aut Chÿ veteris cado benigno,
Quo vates Venuſinus, aut Cremonæ
Vicinus nimiùm, caleſcat igni,
Quas Dauus, Geta, Phormio, Syrúsue
Fraudes in proprios, dolúmque tendant
Heros, quid metuat, velítue Chremes,
A Dÿs quid moneat petendum Aquinas
Vero, ſed nimiùm ſalace verſu,
Cur nouam paret expeditionem
Cæſar Heluetios & in Britannos,
Quo diſcrimine ſyllogiſmus abſit
Enthymemate curto, & εἰσαγωγῇ,
Quid Antonius atque Craſſus olim
De tota ratione diſputârint
Dicendi, valeántne plùs benigni
Dotes ingenÿ, arte regulísque,
Et quis nomine dignus Eloquentis;
Iſtis ergo, Dei benignitate
Adhuc dum frueris bonis beatus,
Interdum poſita ſeueriore
Camœna, grauioribúsque ſcriptis,
Iocoſæ quoque ſume plectra Muſæ,
Miſcens ſtultitiam breuem bonámque
Serÿs ſtudÿs. Probante Flacco,
Dulce deſipere eſt loco, modóque.
Ac velut medicus venena prudens

Et herbas benè noſſe peſtilenteis
Sedulò ſtudet atque diligenter,
Non hoc conſilio, vel has, vel illa
Aegrotantibus vt propinet vnquam;
Sed contrà potiùs notata cautè
Vt ipſus fugiat ſcienter, atque
Ceteris eadem cauenda monſtret:
Sic & tu ſimili memento cura,
Ex hoc Reinikę Voß pereleganti
Commento, ingenium, dolos, & arteis,
Et mores duplices, & atra dulci
Quæ ſub melle aconita deliteſcunt,
Perſpexiſſe potentis, Adriane,
Aulæ, multiplicésque captiones,
Non vt has imitando comprobare
Vnquàm collibeat tibi, ſed omneis
Maturè vt tibi cognitas ſueſcas
Vitare, ac cane peius, & malo angue
Oderis, fugias, & exſecreris.
Nam quiſquis ſapit, & pius, bonúsque,
Caſtus, ſobrius, integer, modeſtus,
Verax, candidus, omnis oſor aſtus,
Firma ac propoſiti tenace mente
Eſſe, & perpetuò cupit manere, &
Vitam ſub lare proprio quietam
Ac lætam exigere; is vel alta nunquam
Aulæ limina tangat & ſuperba
Regum culmina, ſplendidáſque turreis,

Vel ingreſſus in has ſemel, laboret
Maturè inde pedem procul referre,
Nec vnquam in tumidam reuertat aulam,
Expérsque inuidiæque morſuúmque,
Quos infigere amat calumniantum
Venenata, maligna, dira lingua,
Nec ſæuum & metuens nouum tumultum
Fortunæ inſtabili volantis axe,
Et rerum varias vicésque miras,
Id tantùm meditetur atque curet,
Quod Deo queat & bonis probare.
Hæc ſcire vt meliúsque certiúsque,
Et præſtare ſimul queas per omnem,
Quæ tibi ſupereſt agenda, vitam,
Iſtud Reinike Voß de Olde bellum
Et plenum ingenuis poema ludis,
Ne te pœniteat quater relectum
Relegiſſe quater, frequentiúsque;
Præter hoc tamen, Adriane, caſtos
Mores propter, & eruditionis
Præclarum ſtudium, modeſtiámque,
Fortibus iuuenem & bonis creatum
Quæ decent, generiſque ſtemmata ornant,
Amande & meritò mihi colende,
Nocturna terere & manu diurna
Te Plautum haud pigeat, Terentiúmque,
Et dextra monumenta Tulliana,
Tum Caij quoque Cæſaris labores

Gallicos, Libycos, Ibericósque,
Succo nectareo ſuauiores,
Romanaque decus perenne linguæ,
Atque Ariſtotelis libros docentes
Οἴκους, ἤθεα, καὶ πόλεις, & illos,
Quos de Rhetorica, Poeticáque
Scriptos arte reliquit; Adriane
His adiunge breuem, ſed elegantem
Salluſtî hiſtoriam, Paterculíque,
Plutarchum, Tacitúmque, Liuiúmque,
Et ſanctas Senecæ vtriuſque chartas,
Suetonî quoque Cæſares tremendos,
Florum, Polybiúmque, Curtiúmque,
Et Persî, Iuuenalis, atque Horatî
Mordaceis ſatyras nimíſque veras,
Salſi & carmina caſta Martialis,
Tum noſtri quoque fabulas Falerni,
Nec non ſcripta diſerta Comminæi,
Et magni chronicos libros Philippi,
Cui nomen dedit atra terra clarum.
Hos ergo ſimileíſque claſsicorum
Auctorum vigili, Adriane, libros
Si volues ſtudio, vt facis, Latinè
Ἕξιν perſpicuè, eleganter, aptè
Dicendi tibi comparabis, atque
Olim inter numerabere eloquenteis
Poſtremo minimè loco, vel iſtud,
Vel quos præterita audiêre ſecla;

Adhæc

Adhæc egregia tuum replebis
Rerum cognitione plurimarum,
Pectus hoc iuuenile, & optimarum,
Et mores hominum, vrbiúmque leges
Multarum varias legendo diſces,
Nec paruam ſapientiam, modúmque
Cautæ ſic benè prouidæque vitæ
Adquires, tibi cuius in futurum,
Et præſens queat eſſe certus vſus,
Tum ſophiſmata, ſplendidóſque fumos
Vulpis Reinike cum potentis aulæ
Blandis inſidijs, dolíſque, plenè
Nouiſſe, & poteris periculo abſque
Odiſſe, & placida frui quiete,
Virtutis ſtudioſus artiúmque,
Cultórque aßiduus nouem ſororum.
Hos tuî ſtudio atque amore ſcriptos
Verſus hendecaſyllabos, ſereno &,
Vt ſoles, hilari, Adriane, vultu
Accipe, atque mei memor, poema
Hoc vulpis lege Reinke verſipellis
Frequens, & leuidenſe munus iſtud
Boni conſulito, optimo profectum
Et corde ingenuo tuíque amante.
Verùm pluribus hactenus, nimíſque
Quæ fortaßè probare copiosè
Conatus tibi ſum, nimis benignus
Curæ & temporis, illa cuncta rursùs

En nouem cape comprehenſa verbis:
AVLAE NOSSE CVPIS DOLOS POTENTIS?
Iſtum perlege ſedulus libellum.

Eitelbergæ, IV. kalend. VI. tileis, annò à nato Chriſto CIƆ. IƆ. XXC.

Ad Ioſuam Lagum, Pomeranum, affinem cariſsimum.

Quod mea coxit olus fumoſa cum pede perna,
Quem ſecum laribus tulit huc, Adelheida paternis,
Huc pranſurus ades, præduri & fruſtula piſcis.
Butyri, hunc nobis ſalſus benè molliet humor,
Gratáque Laimenſis præbebo pocula vini.
O vtinam huic, dices, nota ſit coniuncta Falerni,
Non procul hinc Bacchi quod nuper creuit ad aram.
Huius fors etiam dabitur ſextarius vnus;
Cum nucibus tandem ponetur caſeus. at ſi
Vt ſatis hæc ſeptem tàm paupera menſa, timebis,
Ieiunis ſit conuiuis, fac, omnia portes
Fercula. Ianna tuo quæ coxit grata palato,
Si ſapis, integrámque famem non adfer ad ouum.
Si neque ſic ſat erit, ſincero cum ſale panis
Latrantes ſtomachos nobis benè leniet. hæret
Mens mea iamdudum in patinis. in tempore adeſte.

Eitelbergæ, III. idus IIX. breis, anno 1564.

Ad

Ad eundem.

Durare vndecimam potis es ieiunus ad horam?
Sed potes,& ,ſcio,vis. vndecima ergo veni.
Renanus,lanius,piſtor,tonsórque vocati.
An Lagon à tantis fas ſit abeſſe viris?

Poſtridie Nonas Aprileis, anno 1566.

Ad eundem de latina verſione nonæ diſputationis colloquij Maulbrunnenſis.

Iam,Lage,nona tibi pars eſt exhauſta laboris.
Impiger aggreditor decimam,nec differ in horas.
Qui nunc non aptus,cras forſan ineptior idem.
Rodis enim dudum,multò quod oportuit antè
Abſumtum,magno mentíſque manúſque dolore.
Libera quamprimùm colla ex proto exime collo.
Me iuuat in tuto Vrſini Fabríque duellum
Spectaſſe,atque viam medios tenuiſſe per hoſtes.
Cautior hinc noſtris ſumam quæ viribus æqua,
Materiam,& verſabo diu,quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri,ne ſi fors magna profeſſus
Deficiam,reddar pueris & fabula vulgo.
Hoc quoque tolle memor dictum tibi,forſit eundem
Si ad lapidem illiſo,claudo tibi plurima manet
Lacryma,per ſanctum & clames iuratus Olauum,
Credite,non ludo,crudeles tollite claudum,
Quære alium tibi,ne vicinia tota reclamet.

Hæc tibi dictabam pede ſtans Pithopœus in vno,
Excepto, quòd non tecum eſſem, cetera lætus.

v.kalend.vi.leis, anno 1566.

Ad eundem de eadem tota verſione abſoluta.

Hactenus haud paruum ſpatijs confecimus æquor.
Et iam tempus equûm ſudantia ſoluere colla.
Iam tandem libri fugientis prendimus oras.
Iam triſtes procul hinc abite curæ;
Quidquid incidet obuium, loquamur
Moroſa ſine cogitatione.
Miſce vina puer, dapéſque pone.
Voluimus nimis hoc diu moleſtum
Saxum. iam valeat, Lago nec vnquam
Curas ſollicitudinéſque portet.
At quanto ſtetit hoc opus labore,
Tanto, fac, ſtudio, Deus, legatur.
Sic nunquam poterit ſui laboris
Pœnitere Lagum. ſuaque paſcet
Commiſſum fidei gregem, graueíſque
A præſepibus vſque diligenter
Fucos atque abiget lupos rapaces.
O ſacer Vrſini atque Lagi labor, omnia Fabris
Eripis, & dictis donas veracibus æuum.
Inuidia verſi, Fabre, ſi vis, rumpere libri.
Si quid Teutonicis fas eſt promittere Muſis,

Quan-

Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Vrſini atque Lagi ſtudium, ſanctóſque labores
Secla futura legent, & Proto hæc colla vigebunt
Vſque, nec hæc tenebris premet inuidioſa vetuſtas.
Quòd ſi non ſtudio ſcribentum fallitur augur,
Cari eritis doctis, donec Sol deſerat orbem
Signiferum, & nuda piſces mare linquat arena.
Dehinc eſt ſtudendum, mentéque libera,
Verſanda ſacri pagina dogmatis,
Nec differendum longiùs in dies
Hoc inſtitutum. rumpe moras graueis.

IV.kalend.VII.breis, anno 1566.

Ad eundem.

Martini ſuperat feſto de veſpere cappus,
Et mihi de patrijs pernula miſſa focis.
Sunt quoq; poma, nuces, vua, & pinguedo Batava,
Caſeus, & tenuis copia parua meri.
Condiet hæc hilaris vultus, paupérque voluntas,
Et non de rebus verba moleſta bonis.
Conuiuas etiam paucos gratóſque vocabo.
Nam quæ ſola venit cœna, moleſta venit.
Primus in his noſter Cato, dehinc cũ coniuge tonſor,
Stegana paſtor tertius ædis erit.
Sextam ergo venies huc cœnaturus ad horam,
Si placet, & linques regia ſceptra domi.

VII, idus Februar. anno 1570.

Ad ſtudioſam Ciceronis iuuentutem in Academia Eitelbergenſi, de vacatione caniculari.

Dum rabidus torret ſitienteis Sirius agros,
Et nimio languent hominum reſoluta calore
Corpora; cum Craſſo gratas Antonius vmbras
Quæret, & exitium patriæ Catilina parabit.

x. kalend. v1. leis, anno 1566.

Ad Victorem Vncinium.

Non de vi, neque cęde, nec veneno,
Lis tecum mihi de toga eſt aduſta.
Hoc tua queror accidiſſe culpa,
Nec, quod dico, potes negare factum.
Iudici tamen hoc probare factum
Me iubes; literis tuis probabo.
Interim patriam, patrémque carum
Tu narras mihi, & horridum duellum,
Atque Ariſtotelem, ſonásque doctum
Platonem, egregiámque dignitatem.
Dic tandem potiùs mihi togam vſtam,
Inſtauráque mihi, quod intuliſti
Damnum. tu tibi quære, cùm lubebit,
Pœcilum. mihi non vacat Duacum
Ire, vbi lepida beatus ille
Nuper virgine factus eſſe fertur.
Pro toga precium mihi peruſta

Tu

Tu debes; ego te cito, vrgeóque,
Vt ſoluas mihi; Pœcilum relinquo.
Vrgendum tibi, ſi vacat, lubétque.

Eitelbergæ, poſtridie idus VI. leis, anno 1566.

Ad Nicolaum Dobbinum Iuriſconſultum.

Cœnabis benè, mi Dobine apud me,
Sexta, ſi tibi ſic placebit, hora,
Si tecum attuleris bonum liquorem
Lauri, non ſine candido ſodale,
Quem noſti, ſine ſed ſale atque pane,
Conditus ſalibus tamen iocísque.
Hæc huc ſi tuleris Dobine tecum,
Cœnabis benè. nam mea eſt profectò
Blattis & tineis referta cella,
Non vino; inſuper eſt araneorum
Plenus ſacculus, heu, meus malorum.
Sed contrà accipies acetum & herbas
Virenteis, oleúmque & oua dura,
Seu quid his magis ἐςὶν εὐπόρισον.
Fors addam, mihi quem dedêre nuper
Martinalia læta feſta, cappum,
Quem tu cùm olfacies, edésque, macris
Gallis anteferes bonos capones.

Eitelbergæ, V. Nonas Martias, anno 1570.

Ad eundem.

Conſueta octaua celebrare γενέθλια prolis,
Inclyta quæ Dauid nomina regis habet,
Atque his quæ redeunt encœnia grata diebus,
Cùm grauis arenteis Sirius vrit agros,
Et ſibi dilectis, ac partus tempore fidis
Ludere cum Lalagis ἠϋγένεια cupit.
Quid faciam? potero tàm iuſta atq; æqua petentem
Obſequio durus deſtituiſſe meo?
Tu mihi, δεσποίνης παρὰ quò mandata φρονούσης
Exſequar, optatam ferto rogatus opem.
Quam mihi dicis opem? quæ tàm δέσποινα ſuperba
Hoc onus eſt humeris inijcere auſa tuis?
Deſine quod noſti iampridem, inquirere velle,
Ne gemines damnum multa rogando meum.
Quadrupes atque bipes villa nutritus eadem
Panorias anſer dum malè captat aquas,
Irruit in noſtram violentus prædo culinam,
Impuróque ſacros polluit ore focos.
Ergo ſuo tanti dependet ſanguine pœnas
Criminis, & dira traijcietur acu,
Linea cum primùm decimam percuſſerit vmbram,
Lætus ad hæc venies ſacra piacla. Vale.

xv. kalend. vi. leis, anno 1575.

Ad

Ad eundem.

Hauſemio piſcem Renanum mergere Ponto,
Et per tres ſenſim mecum detrudier orbeis
Si lubet in puteum, aut planum iactando per æquor
Oſſula ter ſenis, ternîſque nitentia punctis,
Bis ſenæ, diſcum ter quinum imponere metæ;
Hüc Cereris tecum portans & munera Bacchi,
Fac properes ſextam cùm linea tranſiet vmbram.
Se dabit hac nobis ſocium ad certamina Damus.

VI. idus Ianuar. anno 1577.

Ad eundem.

Si tibi ter quinos mecum iactare tabellà
In vacua diſcos libet, & perferre frequenteis
Ictus, & dare; fac, venias, hos cautus in vſus
Cum tabulà diſcos, & paucula leptula portans.

Nonis Martijs, anno 1578.

Ad eundem.

Si libet exigua mecum benè viuere cœna,
Et potes ad tenuem conuiuà recumbere menſam,
Ac vili cœnare halecem atque oua catillo,
Supremo te Sole domi. Dobbine, manebo.
Borckius ille meus, Pomeranæ gloria gentis,
Se tibi iucundum dabit hac ad fercla ſodalem.
Vina bibes bona, ſi proprio depromere penu

Vina voles; mala, ſi noſtri χείλεσι πίθοιο.
Viue, vale; ſi quid coxiſti lautius iſtis,
Imperti facilis; ſi non, his veſcere mecum.
Proijce cum calamis contracta ſeria frontis,
Et Iouis offenſi nimiùm ne tela timeto.
Quis ſcit, an immutent hodiernis craſtina turbis
Gaudia Dij reliqui? liceat modò viuere, ſpes eſt,
Ieiunaturum me fortiter. Ergo ſolutus
Curis, & ſtulto certamine diuitiarum,
Te ad ſextam exſpecto. nunc perge euoluere leges.

III. Nonas Martias, anno 1580.

Ad Hugonem Donellum, Iuriſconſultum clariſsimum.

Si tibi ſanctorum celſum conſcendere montem,
Mollia vel mecum viſere prata lubet;
Huius cum noſtro, tibi me, Donelle, laboris
(Si labor eſt placitis ſe recreare locis)
Offero Dobbino comitem. nos gratia cœli,
Et grauidi turgens palmitis vua vocat.

Eitelbergæ, XVI. kalend. IIX. breis, anno 1574.

Ad Hermannum Vvitekindum, collegam & compatrem cariſsimum.

Si tibi Romani mecum Cicerona parentem
Eloquij, paullùm voluere forte lubet,

Qua

Quæ fuerit, quæram, villa Ocriculana Milonis,
Et mea ſe comitem paruula Sara dabit,
Et teneris vellet digitis laſciuula barbàm,
Cum risúque breueis quæret amica iocos.
Dehinc ego, pertulerit quantam Zutfania cladem,
Et referam, quo ſit patria cara ſtatu.

Eitelbergæ, x. kalend. Februar. anno 1573.

Hermannus Vvitekindus Danieli Pithopœo, Lamberti filiolo, modò baptizato.

Parua voluntatis noſtræ monumenta, puelle,
Quæ damus, arridens, vt potes, accipito.
Crux eſt in nummo, crucifixi numine ſaluos
Perpetuò matrem, téque, patrémque velim.

Anno 1569. die 6. Februar.

Ad eundem Vvitekindum, nomine dulciſsimi infantuli Danielis Helmij Pithopœi.

Parua tibi hæc paruus Daniel munuſcula porto,
Vt capias hilari fronte manúque rogans,
Magnos magna decent, dant aurea munera reges,
Sed pueros paruos paruula dona decent.
Vilis materies, & vilis forma. tenelli
Infantes verum dicere ſpontè ſolent.

Quidquid ſit, caræ ſtudio manibúsque parentis
Confectum, patre & matre iubente, fero.
Pro multis vnum, pro grandibus accipe lætus
Exiguum, pro me cetera Chriſtus aget.
Grata parùm veniunt, quæ dantur ſera. ſed an quis
Debita me puerum tempora noſſe putet?
Attamen hîc quidquid peccaui fortè, retortæ
Cum ſpira duræ ſint mihi pœna nuces.
Viue, vale, & lætus commiſſa negotia tracta,
O Vvitekinde mihi patris amande loco,

Pridie kalend. Martias, anno 1573.

Ad eundem.

Si libet vmbroſum nobiſcum ſcandere collem,
Principis ad fontem quà breue monſtrat iter,
Et cupis in viridi proiectus molliter herba,
Labentis placidè cernere murmur aquæ,
Atque iocis animum, pòſt vino membra fouere;
Hæc tibi cùm fuerit littera lecta, veni.

x. kalend. Innias, anno 1574.

Ad eundem.

Si tibi colloquijs triſteis mihi demere curas,
Atque vacat doctis me recreare ſonis;
Aut arceſſe tuas Pithopœum promtus in ædes,
Aut te arceſſentis iuſſa memento pati.

Poſtridie idus VII. breis, anno 1574.

Ad

Ad eundem.

Si benè te noui, veteris meminiſſe ſodalis,
Cui πίθ& βασιλεὺς nomina clara dedit,
Dulce tibi & gratum eſt, quantumuis illius olim
Hollando exuuiæ computruêre ſolo.
Illius hunc igitur, quadam de parte, Ludolfum
Commiſſum curæ, me rogitante, tuæ
Eſſe ſines, quotiésque tuos pro more vetuſto
Ad tua diſcipulos tecta venire iubes,
Vt recitent animo dudum percepta fideli,
Atque tibi, certo tempore ſcripta ferant,
Hunc reliquos inter (multis vox ſufficit vna)
Vel ſine poſtremo nomen habere loco.
Sic tibi, ſic fauſtæ ſurgant claro æthere ſtellæ,
Sic tua ſignandis regula quadret agris.
Hæc tibi ſcribebam ſero de veſpere lucis,
Inclyta quæ ſacris eſt, Catharina, tuis;
Quinque ter exierant à nato ſecula Chriſto,
Cùm Deus eſt caſta virgine natus homo,
Síque bis octonis luſtris ſex adijcis annos,
Iam propè finitus ſeptimus annus erat.
Tu mea pro caro, tibi vota dicata nepote,
Hásque ſines aliquod pondus habere preces.

Ad eundem.

Chriſtophorum quoties ad te vel mitto Ludolfum,
Vt patris expediant iuſſa verenda ſui,

Teutonico prohibens, iubeo ſermone latino,
Vt mea conſueſcant dicta referre tibi.
Ergo pium cari ſtudium curámque parentis,
Quod potes, officio perge iuuare tuo,
Vtque ſoles, placido venienteis excipe vultu,
Quídque velis, Latio, dic age, fare ſono.
Turpe, patris gnatos, linguæ monumenta latinæ
Qui legit in clara ſedulus vſque ſchola,
Diſcipulósque, ſui ſectans veſtigia patris,
Non niſi vult Latio verba ſonare modo,
Seu pater iniunxit, ſeu certa negotia mater,
Materno ſemper dicere velle ſono.
Hanc igitur mecum curam puerilibus auge
Ingenijs, ſtudij ſedulitate tui,
Quæque rudi potuit didiciſſe puertia captu,
Sit tibi iucundus quærere multa labor;
Vt pater, vt valeat mater, quid paruula rerum
Sarula, quid Daniel, quid Fridericus agant;
Quæ ſit diuinæ ſententia, verbáque legis,
Quæ ſit Chriſtiadûm certa vetúsque fides;
Quid Baptiſmus aqua, quid ſacræ ſymbola cœnæ,
Signáque quo ſint hæc accipienda modo;
Quæ, cur, & qualis ſit grata precatio Chriſto,
Quæque catechesis nos pia cúnque docet;
Annon manè, patris mandato, veſpere ſero,
Pranſi, cœnati, Biblia ſacra legant,
Et rudis hinc memores nôrint exordia mundi,
Vtque putri primus puluere factus homo;

An

An benè priſcorum ſeruârint nomina patrum,
Et teneant quis ſit Setus, Abelus, Enoch,
Noha quis, & Semus, Lothus, quis fidus Abramus,
Huius quis fuerit filius atque nepos,
Quis Ioſeph, Moſes, Aaron, Iehoſua, Dauid,
Et mora quos omneis longa referre nimis;
Diſticha num ſancto teneant inſcripta Catoni,
Verba licet nullus viderit illa Cato,
Vltima quæ primo, tum quæ ſint prima ſecundo:
Tertia quæ quarto diſticha ſcripta libro;
An, Deus eſt animus, Romano dicere more,
Grammatices pueros regula certa ſinat;
Andria dicatur cur fabula prima Terentî,
Hanc an ſe memori mente tenere putent,
Anne ſciant, quis ſit verborum debitus ordo,
Et poßint lingua reddere ſenſa ſua;
Ecquid Corderius placeat, doctúsque Faernus,
Quid vulpes, leo, quid tardus aſellus agant;
Quando, queísque ſtylum ſoleant vertiſſe diebus;
Exigat an ſolito cuncta rigore pater;
Denique quæ ſtudijs puerilibus apta putabis,
Romana referant vt tibi voce, iube.
Scilicet hæc multùm teneris examina proſunt
Mentibus & linguas ingeniúmque fouent.
Sed quid ago? cupidi nimiùm vis impigra ſenſus
Me rapit, & lento non ſinit ire gradu.
Ac veluti vento prouectus nauta ſecundo,
Libera dat lato vela ferenda mari,

Iámque procul tuti digreſſus limine portus,
Non potis eſt vlla ſiſtere parte ratem:
Sic mea, quantumuis rigidæ per frigora brumæ
Ad verſus nimium ſegnis & ægra fluat,
Nunc tamen ingenti ſobolis ſuccenſa fauore,
Has pleno fundit pectore Muſa preces,
Ac exorſa ſemel neſcit concludere verſum,
Et numeris finem conſtituiſſe ſuis.
Cœperat inſtitui paruo leuis vrceus ore,
Amphora cur exit pondere preſſa graui?
Vix duo decrêram tibi ſcribere diſticha, mentis
Quîs poteram ſenſus expoſuiſſe meæ;
En mihi ſub manibus iuſtum multíque laboris
(Fas mihi ſit tecum ludere) creſcit opus.
Non tàm ſancta tamen fidi patieris amici,
Et mea ferre leueis irrita vota notos.
Ampla tibi merces, hilaris paupérque voluntas,
Et mens auxilij gnara memórque tui.
Pauperis hoc tugurí ſub tecto paupere factum,
Et tibi de vena paupere carmen habe.
Aurum, vaſa, tibi diues donabit amicus;
Aſt ego nil præter paucula verba fero.
Iſta cubans ſummo meditabar manè diei,
Sanguine quæ primi martyris alma redit.
Quod ſupereſt, libros Gutmanni mitte, tuúmque
Ad mea Trigelium tecta venire iube.

Anno 1577.

Ad eundem eadem ſtatim hora.

Quos te præcipuè volui cognoſcere verſus,
Me vidi proprio non poſuiſſe loco.
Sic canis approperans cæcos peperiſſe catellos
Aſſolet, & ſubitum non benè cedit opus.

Ad eundem de tabulis Geographicis Ptolemæi, à Clariſsimo Mathematico D. Gerardo Mercatore, nuper renouatis, & dono mihi miſsis ab auctore.

Scire, tui quàm ſint fœcundæ fluminis vndæ,
Quas iterum in patrios fundere es auſus agros,
Si cupis, & dulceis coràm decerpere fructus,
Quos mihi Gutmanni prata tulère tui,
Huc, quamcunque voles, propera Vvitekinde ſub horã,
Vt ſpectes operis præmia digna tui.
Parua licet, magnum produxit pertica fundum,
Totius immenſas qui capit orbis opes,
Pertica, qua montes, ſiluas, metiris & agros,
Pertica vitiferi regula certa ſoli,
Parua, nec argento, nec marmore facta, nec auro,
Occulit aut quidquid diuite terra ſinu,
Vix benè ſed tenui laceráque exciſa papyro,
Mille gerens nigris grammata tincta notis,
Pertica ter denos vix exporrecta per vngueis,
Pertica, quæ facta eſt munere noſtra tuo,
Quidquid habet tellus, quidquid mare, fœnore magno
Reddidit omne illud pertica fauſta mihi.

Tantas Vveſtualicis Duisburgi clarus ab oris
Mercator promto pectore miſit opes.
Nec ſatis hoc habuit, terrā & mihi mittere pontum,
Non exſpectatis méque beare bonis,
Occiduis etiam degens ſub montibus Vrſus
Huic ſimile, eiuſdem munere, munus habet.
Hæc tibi dictabat pede ſtans Pithopœus in vno;
Conſtiterit gemino ſi pede, quanta dabit!

x. kalend. Quinctil. anno 1578.

Ad eundem de verbo Abſcidit, media longa poſito apud Lucanum, 6. Pharſal.

Quam nuper meditatione dignam
Boni grammatici, boni poetæ,
Tibi propoſuiſſe quæſtionem,
Me ſatis memini, nec ipſe neſcis,
Huius, dic Vvitekinde, dic, per omneis
Te Muſas, precor, explicationem
Cur differs nimiùm diu ſilendo?
Quòd ſi fortè ſilentium tueri
Hoc iſta ratione cogitabis,
Vt dicas, mihi iudices daturum
Te verſus lepidos & eleganteis,
Quos Naſo tibi dictitat poeta;
Curando fieri maligniora
Quædam vulnera ſæpè comperimus,

Quæ

Quæ nunquam tetigiſſe præſtitiſſet;
Ego hæc continuò tibi reponam;
Reſponſum dare tale conſulenti,
Non eſt ſoluere, ſed ligare nodum.
Abſcidit media breui poetas
Leges Grammaticæ iubent ſonare;
Abſcidit media tamen videtur
Lucanus mihi protuliſſe longa,
Lucanus minimè malus poeta.
Hoc à te mihi poſtulo explicari,
Qua poßit ratione comprobari.
A ſcindo abſcidit eſt, refers, profectum;
Cedo præteritum facit cecidi.
Ab hoc legitimè venire verbo,
Abſcīdit, canones docent ſcholarum.
Reſponſum mihi tale das roganti;
Sed heus tu Vvitekinde da probatum
Et non ambiguum vetuſtioris
Exemplum mihi vel recentioris
Boni Grammatici, boni poetæ,
Qui nouo ſit & vſus inſolenti
Hoc verbo. mihi non quidem probārit
Abſcīdo facilè ipſe Priſcianus;
Abſcindo tibi ſed probare poſſum
Exemplis facilè & vetuſtioris,
Et quem ſecula protulēre noſtra,
Boni Grammatici, boni poetæ.
Hoc ſi præſtiteris tamen, ſecundo

Tum me Phyllida ſolus obtineto.
Ergo conſilium tuum requiro
Hîc rursùs, Vvitekinde, doctiores
Qui doctiſsimus integerrimúsque
Inter Grammaticos & es poetas,
Quos vnquam mihi contigit videre,
Et quibus cupiam meam probari,
Quamuis pertenuem rudémque Muſam.
Tu me, tu ſolito iuuans fauore,
Hanc mihi facilis bonúsque tandem
Velis diſſoluiſſe quæſtionem,
Boni Grammatici, boni poetæ
Attenta meditatione dignam,
Quæ dulceis adimens leueísque ſomnos,
Moleſtas m hi cogitationes
Adfert, verſiculos vetans ſerena
Caro ſcribere mente me ſodali.
In re ſi dubia tamen licebit
Tua non ſine pace gratiáque,
Quid mihi videatur, explicare,
Accīdit, potiùs puto legendum,
A verbo benè voce cedo ducta,
Auulsítue comam. Sed hoc relinquo
Totum iudicio tuo improbandum,
Aut, ſi fortè placebit, approbandum,
Ariſtarchus vt hîc grauísque cenſor,
Quæ laus eſt tua, ne graueris eſſe.
Ne prudens videar tamen, ſciénsque

Te quidquam voluiſſe fraudulenter
Celare, & mihi non meum tenere,
Ac ſic ingenij, quod eſſe nullum,
Aut perexiguum mihi, fateri
Nunquam me puduit, pudet, pudebit,
Præſertim ingenuos apud bonóſque
Viros, aut tenuem leuémque laudem
Artis neſcio cuius aucupari:
Quæ ſic ſubſtituenda verba dixi,
Hæc Hortenſius ad ſui notauit
Margines operis, recèns poetam
Quo Pharſalica caſtra Cordubenſem
Metro grandiloquo & graui canentem,
Præclaris ſcholijs & eruditis,
Præ multis alijs benè expoliuit.
Hæc tibi, Vvitekinde, dictitabam
Fronde non viridi ſuper, vel herba,
Proiectus patulæ arboris ſub vmbra,
Sed caræ recubans ſinu puellæ,
Quam regale Adelheida nomen ornat,
Quæ vitæ ſocia eſt mihi fidelis,
Ter ſenos mihi nupta iam per annos,
Molli tegmine fultus anſerino,
Nocte, quæ ſequitur diem celebrem
Tuo nomine, prima, Margarita,
Eitelberga ſuas foro patente
Clara quo ſolet explicare merces,
Et lautas venientibus parare

Menſas hoſpitibus, boníſque amicis;
Inque aurem, Vvitekinde, dico ſoli
Quod tibi, tacuiſſe gnaro amico,
Pridie biberam, occidente ſole,
Cum dulci tria quattuórue amico,
(Hic Dauid Sigemundus eſt, & audit
Orator bonus, optimus poeta)
Vini pocula latus anſerini.
Optimi, Nemetum quod in reducta
Natum valle Neapolis, nouenis
Iam ſacrata, mihi dedit, deabus,
Quo mihi quoties habere corpus
Sub noctem irriguum datur, repentè
Præbent ſe facileis mihi Camœnæ,
Et dictant numeros ſuauiores,
Et nouem mihi ſuggerunt poetas,
Vnius ſpatio trientis horæ.
His pro verſiculis repoſco munus
Tàm bellis, lepidum decens poetam,
A te Grammatico & bono poeta;
Quod ni tu dederis lubent voléns que,
Mihi cras, hodie, perendiéue,
Promto pectore, dexteráque larga,
Implacabilis vſque noſtra grandem
Intendet tibi iure Muſa litem.
Eſt admittere, quod cauere poſsis,
Stultum. prouidus ergo ne ſubire
Velis terribileis minas & iram

Mali

Mali Grammatici, mali poetæ,
Bonus Grammaticus, bonus poeta.
Mali Grammatici, & mali poetæ
Iritabile quàm genus ſit, vnus
Abundè potis eſt docere Flaccus.
Ergo fac, habeas malum poetam,
Amicum, tibi, ſi ſapis, tuóque
Rectè conſulere otio & quieti,
Nec vulgi cupis eſſe cantilena,
Et ludus pueris, aniculíſque.

Pridie eidus Quinctileis, anno 1578.

Ad eundem de eodem.

En tibi, nos inter longam componere litem
Quod queat, exemplum, mediam producere rectè
Abſcīdit, monſtrans, deductum à cedo cecidi,
Non à ſcindo, ſcidi. tenerorum luſor amorum
Vtitur hoc, verſæ bis ſexto codice formæ,
Hîc, vbi ſemiferos, Pylio referente, trucidant,
Neſtore, Centauros Lapithæ. nam Grantoris alti,
Theſea Demoleon annoſa ſternere pinu
Conatus, fruſtrà fractam dum mittit in hoſtem,
Abſcīdit iugulo pectúſque humerúmque ſiniſtrum.
Nunc igitur, qua tu digna mercede laborem,
Inuentúmque meum penſes, Vvitekinde, videbis.

VII. eid. Nouembr. anno 1578.

Ad eundem.

Pro ſemiſſe mihi quadrantes reddere binos,
Si potes, vt cupias, te, Vvitekinde, rogo.
Pro quadrante mihi ſemiſſes reddere binos,
Opto, cùm nequeas, vt, Vvitekinde, queas.

Neapoli Nemetum, 19. Martij, 1583.

Ad Iohannem Iungnitium Vratislauienſem, affinem cariſsimum.

Annuit & voti Pithopœus cedere partem
Spontè dedit, partem volucres diſperſit in auras.
Iungnitio, lautis vt ponat fercula menſis,
Annuit oranti, nudum vt noua balnea ſpectent,
Non dedit, at Zephyri votum rapuêre ferentes.
Ergo tua ſolus cum ſola perge lauatum;
Aſt ego dilecta veniam comitatus Aleida,
Et tecum ſexta læti cœnabimus hora.

Eitelb. 16. kalend. Februar. anno 1573.

Dauidi Sigemundo Caſſouienſi Pannonio, amico iucundiſsimo, & conuictori gratiſsimo, poetæque elegantiſsimo.

Rudis poeta, nec tamen vir peſſimus,
Vati polito, ſed ſimul iuueni optimo,

Hæc

Hæc cæca cæci Tobiæ do carmina,
Vt certa ſint amoris arrha mutui.

Eitelbergæ, xv kalend. Quinctil. anno 1578. matutina quincta, qua die & hora, ante annos viginti primùm veni Vvittembergam.

Elegia ad doctiſſimum & facundiſſimum virum, poeticæque facultatis laude excellentem, Lambertum Ludolfum Pithopœum, Profeſſorem eloquentiæ in Academia Heidelbergenſi laudatiſſimum, & hoſpitem meum cariſſimum, ſcripta à Dauide Sigemundo Caſſouienſi Pannonio, perpetuæ meæ in ipſum obſeruantiæ & beneuolentiæ ergò.

Nuper amœna petens nemorum ſecreta, ferebam
Mecum vnà numeros, culte Ludolfe, tuos.
Stratus vbi aerij vicina montis in vmbra,
Dum venerans illos, attonitúsque lego,
Auribus accipio paſſim lamenta per vmbras.
Fallor, an hoc etiam vertice Phœbus erat?
Cúmque meos horror ſubitò percurreret artus,
Frigidus in toto corpore ſanguis erat.

Cetera non memini, Phœbeia dicta notaui.
Venit, & ante oculos adſtitit ille meos.
Tum ſic orſus ait; Quid inania carmina voluis,
Præmia quæ ſtudio non meruêre ſuo?
Magna fuit quondam vatis reuerentia ſacri,
Inque ſuo pretio carmen & autor erant;
Carmina nunc tantùm, ſi non ſunt dura, leguntur;
Carminis autores præmia nulla ferunt.
Fecimus hæc olim non æquis viribus ambo;
Lambertus titulum, carmina Phœbus habet.
Debita ſed vati merces, mihi gloria, Phœbo
Defuit; ambobus, quod quereremur, erat.
I nunc, & ducibus, quos præſens educat ætas,
Ingenij profer munera larga tui,
Doctorúmque aude laudem ſperare laborum,
Et, quæ non capias, præmia capta puta.
Scilicet accipies, à Mœcenate quod olim
Magnorum Flaccus ſedula cura Ducum,
Aut pater Auguſtus quæ vatibus obtulit olim
Munera, nunc aliquo tu quoque dante feres.
Dixerat. & tenues fugiens diſceſſit in auras,
Ceu leuis ex oculis fumus abire ſolet.
Dicta memor Phœbi calamo properante notaui,
Quæ tibi ſincerus tradere iuſſit amor.
Sume ſacer vates, non falſa pignora mentis,
Contulit in laudem quæ mea Muſa tuam.

Sic

Sic tecum Phœbus, ſic Muſæ carmina pangant,
Sic ſint eloquio præmia digna tuo.

HEIDELBERGAE, 12.kalend. Quinctil. anno 1578.

Pithopœus ſuo Dauidi Sigemundo S.

Quod dederam proſa, repetiui verſibus, illud
Incluſum numeris his, Sigemunde, leges.
Non vati illa dedi vates rudis ipſe; poetæ
Egregio mittam nil niſi metra tibi.

Poſtridie kalend. Quinctil. anno 1578.

Dauid Sigemundus ſuo Lamberto Pithopœo.

Legimus, ò vates, tua carmina, carmina Phœbo
Digna, nec Orpheis inferiora ſonis.
Quæ mihi quàm fuerint grata & iucunda, deinceps
Teſtabor numeris, docte Ludolfe, meis.

Dauidi Sigemundo Caſſouienſi Pannonio, poetæ præſtantiſsimo & amico dulciſſimo Pithopœus dono mittens Strozarum poemata, ſalutem dico.

En, Sigemunde, tibi Strozas natúmque patrémque,
Conueniens certi pignus amoris habe.
Munera ſi pretio rectè metimur & ære,
Eſt leue; ſin animo, non leue munus habes.

Si numeros etiam ſpectes & carminis artem,
Quámque ſit ingenij diuitis iſtud opus,
Et benè te noui,valeant cum regibus aulæ,
Et,nimium captat quas rude vulgus,opes;
Hæc mihi Strozarum,dices,hæc carmina,vatum
Priſcorum doctis æquiparanda modis,
Quæ mihi ſinceri ſimplex & pauper amici
Dat manus,hæc Crœſi ſunt potiora bonis.
Tu quoque,tu noſtros inter,Pithopœe,poetas,
Me poteras aliquem iudice ferre locum,
Ni quæ multorum virtutibus obſtat egeſtas,
Hæc etiam ſtudijs eſſet iniqua tuis.
At tu,ſi quidquam poterunt mea carmina,viues
Carminibus toto clarus in orbe meis.
Hæc,Lamberte,tibi mea mens & amica voluntas,
Sat ſcio,regalis muneris inſtar erunt.

IV.eid.Quinctil. cIↄ.Iↄ.LXXIIX.

In Strozas,Patrem & F.ad Lambertum Ludolfum Pithopœum.

Illuſtres ſaluete viri,ſummíque poetæ,
Quos tulit Auſonij terra beata ſoli,
Stroza pater,túque ò patrij cognominis heres,
Herculeæ nomen nobilitatis habens,
Iunior ò multò,ſed digna parente propago,
Nec,qui te ferret,dignior alter erat,
Tu virtute tua,factíſque illuſtribus ingens
Vertice contingis ſidera ſumma tuo,

Maio-

Maiorúmque decus, doctrinæ laudibus auges,
Ingenióque parens eſt minor ipſe tuo.
Stroza pater, nato non indignabere vinci,
Hæc decus ambobus palma perenne feret.
Hectore ſic Priamus minor eſt, ſic Neſtore Neleus,
Fortis ita Alcides Amphitryona premit,
Oenea ſic Tydeus, ſic vincit Agenora Cadmus,
Deſeris autorem ſic Menelae tuum.
Maior Alexander magno fuit ipſe Philippo,
Maior & Aemathius patre Philippus erat.
Aenea Anchiſes, Agamemnone vincitur Atreus,
Sic patrios tranſit Thetide natus auos.
Quidquid id eſt, ambos Muſarum voce ſaluto,
Pinguia Teutonidûm quà rigat arua Nicer.
Diligo vos, amo vos, Romani lumina regni,
Iudicio eſt veſtrûm magnus vterque meo.
Vos mihi donatos, inſigni laude Ludolfus
Extulit, eloquio demeruítque ſuo.
Grata meum vatis facundia iuuit amorem.
Acrior inuaſit pectora noſtra calor.
Strozarum manes, grates agitote Ludolfo,
Eloquio qui vos ornat vbique ſuo.
Fallor, an hunc etiam vatem venientibus annis,
Pieridum ſanctis addet Apollo choris?
Tunc aget æternos vates cum vatibus annos,
Huius vbi functus munere lucis erit.

Heidelbergæ, 4. id. Quinctil. anno 1578.
Tuus Dauid Sigemundus Caſſouienſis.



Ad eundem de imagine Friderici III. Pij, Electoris Palatini &c.

En, Sigemunde, tibi Generoſi principis ora;
Hic color, hac celſæ gratia frontis erat;
Quo neque iuſtitia quiſquam, nec pace, nec armis,
Nec potior vera relligione fuit.
Quæ patrias olim referes cùm lætus in oras,
Hæc mea ſunt ſtudio, dic, Pithopœe, tuo.

Pridie eidus Septembreis.

Doctiſs. viro, Lamberto Ludolfo Pithopœo Dauid Sigemundus Caſſouienſis Pannonius S.

A nou vate datur vati, res aurea, donum;
Quod datur, è ſtudio ſume Ludolfe meo.
Sole nihil ſeruat formoſius orbis & auro.
Sole ſatos vates aurea dona decent.
Aurea res carmen, ſunt aurea numina Muſæ.
Da mihi tu verſus, aurea dona dabis.

Heibelbergæ, VI. kalend. Octobreis.

Suo Dauidi Sigemundo Caſſouienſi Pannonio, abitum Eitelberga Tubingam paranti.

Das verſus, aurum; ſunt vtraque grata, ſed vnde
Hæc veniunt, longè mens mihi grata magis.

Donarem verſus, aurum; ſed diuitis, aurum,
Et docti, verſus eſt dare vatis opus.
Aſt nec ſum, nec ero vates, nec diues. vtrumque
Aſpera Grammatici ſors, Sigemunde, vetat.
Hoc igitur reſtat; Sit mens, ſit amica voluntas,
Vt tua grata mihi, ſic mea grata tibi.
Hanc ego, ſeu ferar extremos vagus exſul ad Indos,
Seu mihi dent certum fata benigna locum,
Ex ſtudijs ortam melioribus, auſpice Chriſto,
Dum mihi ſeruabo, vita ſuperſtes erit.
Tu quoque conſtanti Pithopœum pectore ſeruans,
Perpetuùm ſalue, perpetuúmque vale.
Lætus ini, lætus ſuſceptum, numine dextro
Continua, & tandem perfice lætus iter,
Quod tibi doctrinæ ſuadet laudanda cupido,
Viuere dùm ſanctè, diſcere multa ſtudes.
Ergo age, quò virtus vocat, &, Sigemunde, vocabit
Te tua, felici ſidere carpe viam.
Sidera qui, terrásque regit, comes adſit eunti,
Totius & vitæ proſperet acta tuæ.

Eitelbergæ ſubitò ſcribeb. v. Nonas
Octobreis, anno 1578.

Ad eundem.

Vati gaudere & benè viuere Caſſouiano
Muſa rogata refer. ſi fors inquirere perget;
Quid meus ille gerit, tàm triſti tempore, rerum,
Ille meos nuper non vltimus inter amicos,

Hoſpi-

Hoſpitij & ſtudij certo mihi fœdere iunctus,
Heu cuius verum nunc non licet edere nomen?
Viuere me dices, lætum tamen eſſe negabis;
Nil mihi, nilque meis, præter plorare, relictum.
Μοῦνος ἐνὶ πέτρῃσι καὶ οὔρεσιν ὧδε κάθημαι,
Τείχεσι, παιδεύοντε λέγων βῆτ', ἄλφα μικροῖσιν.
Hæc tibi plorabam tecto ſub paupere mœſtus,
Excepto, nummi quòd deſint, cetera ſaluus.
Πάνταχος & Δεῖπνον tantos mouêre tumultus.
Sapè diem hanc nobis, ſi mens perſuaſa fuiſſet,
Ex Arcto miſſos memini prædicere libros.
Sic illi viſum, nutu qui ſidera torquet.
Ergo omnis ſuperanda mihi fortuna ferendo eſt.
Viue, vale, caue, ne taceas, mandatáue mutes,
Cuius non ulli licet effugiſſe tribunal.
Cetera, præſenti præſentis cernere vultum
Cùm dabitur, diſces; nunc tuti cura ſilenti.
Talia ſcribebam poſitis pro nomine ſignis;
Ne, cùm non proſim, videar voluiſſe nocere.

Poſtrid. idus Sextil. anno 1579.

Lamberto Ludolfo Pithopœo, amico ſuo ſempiterna fide colendo S. D.

Tempus in æternum mihi, mi Pithopœe, valeto
Luminibus nunquam fortè vidende meis.
Tendimus ad veteres, natalia rura, penateis,
Quà rapidas fundunt Sauus & Iſter aquas,

Téque relinquemus longinquis orbis in oris,
Quà riget Arctoo Teutonis ora polo.
Nulla mihi ſpes eſt hoc ampliùs orbe fruendi,
Colloquio & vultu, dulcis amice, tuo.
Viximus & multas cum Muſis triuimus horas,
Grata mihi menſæ fercla fuere tuæ.
Mox aderit tempus, cùm cœlica regna petemus.
Hic eadem rursùs menſa duobus erit.
Intereà ſerua memorem Dauidis amorem,
Qui maneat, dum nos viuere fata ſinent.

Rogo te, mi Pithopœe, vt, quæ prima tibi dabitur occaſio, mihi ſignifices, qua in vrbe aut parte Germaniæ deinceps ſis victurus, vt poſſim te omnibus veræ amicitiæ officijs etiam abſens continenter colere. Cæſar noſter deprecatur culpam ſilentij, daturus iam ad te literas ad omnem occaſionem. Vale mi Pithopœe in æternum, & me ama. Tubingæ, 7. Nouemb. anno 1579.

Tuî amantiſsimus Dauid Sigemundus Caſſouienſis Pannonius, Tubinga in patriam rediens.

Geor-

Georgio Cæſari, Pannonio, viro optimo & doctiſsimo, poetæque, politiſsimo, & amico, licet nunquam viſo, cariſsimo.

Hunc, mihi non vnquam viſo Pithopœus amico
Mitto librum vera ductus amicitia.
Cæſaris is magnum nomen gerit atque Georgî.
Pauperis en diues munera Cæſar habet.

Eitelb. v. Nonas Octobr. anno 1580.

Suo Dauidi Sigemundo Pithopœus S.

Exiguo veterem quo pignore teſtor amorem,
Hoc tibi de Nicri flumine munus habe.
Quæ quondam noſtro, Sigemunde, fauebat honori,
Me ſolitis cogit Pallas abire locis.

Eitelb. v. Non. Octob. anno 1580.

Pithopœus Sigemundo S.

En tibi, præſtantes inter celebrate poetas,
Pannonij Dauid lux Sigemunde ſoli,
Hoc etiam noſtri pignus Pithopœus amoris,
Quà Nemetum pingueis Speira pererrat agros,
Exiguum licet, & tali vix nomine dignum
Mitto, tuo certo fretus amore meî,
Ex quo nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
O nunquam ſtudijs ſors ſatis æqua meis.

Tu facito, clarus Muſis, pulcráque beatus
Coniuge, Lamberti ſis memor vſque tui.

Neapoli Nemetum, eidibus Iunijs,
clↄ.Iↄ.xxcI.

Dauid Sigemundus Caſſouienſis Pannonius Lamberto Pithopœo, Profeſſori eloquentiæ in Schola Neapolitana Nemetum, amico cariſſimo S. D.

Gaudeo ſanè plurimum, mi Pithopœe, quòd memoriam veteris noſtræ neceſsitudinis tanto interuallo non ſolùm nō es paſſus elabi ex animo tuo, ſed eam etiam publico monumento teſtatam eſſe voluiſti, antiquo nimirum illo epigrammate, quod penè intercidiſſe apud te arbitrabar, in lucē productο. Accedit huc aliud quoque non minùs luculentum carmen, amoris certè & officij plenum, ex eadem illa officina tūa Muſica recèns depromtum, ac in fronte libelli manu tua aſſcriptum, quod ominoſo quodam ſuo genio ita mihi placuit, vt præſentibus amicis, iterum atque iterum exclamauerim, te inſtinctu quodam & afflatu diuino impulſum ſcripſiſſe carmen illud. Adeò in eo epigrammate planè vatem te eſſe, mihi decla-

declaraſti. Eadem enim die ego pulcra coniuge beatus factus ſum, qua fatales illos tuos verſus legi;

Tu facito Muſis clarus, pulcráque beatus
Coniuge, Lamberti ſis memor vſque tui.

Ac quia euentus coniugiorum in manu Dei eſt, ego eum & oraui & oro ardentibus precibus, vt votum & augurium hominis amiciſsimi, viríque optimi, optato euentu comprobet; quod omninò futurum, certa ſpe & fide ſtatuo. Certè, mi Pithopœe, his duobus epigrammatis, & prætereà munuſculo tuo literario vidêris mihi quaſi ſpecimen quoddam ſummæ tuæ humanitatis in colenda amicitia edere voluiſſe; pro quo nõ habeo, quod tibi aliud in præſentia reponam, niſi me totum tuum eſſe & fore ſemper, neque fuiſſe vllum tèmpus poſt meum à vobis diſceſſum, quo meum erga te amorem è meo pectore dimitterem. Quin immò illud longè veriùs affirmauero, me penè ardẽtius domi te amaſſe, quàm peregrè, amaréque etiamnum, ac vehementer animo angi, quòd videam ſuauiſsima tua conſuetudine, perpetuò mihi carendum eſſe. Quid enim ego tibi excutiam cauſſas neceſsitudinis noſtræ, quas neuter noſtrûm ignorare

poteſt. Reuoca, quæſo, in memoriam paul-lulùm initia noſtræ notitiæ. Non enim caſu, & fortuitò ego in te incidi, neq; illud ſpectaui, quod vulgus ſolet, quàm multum poſſes meis rebus, opibus tuis commodare, ſed iudicio te elegi meo, cuius amicitia & hoſpitio vterer, propter ſummam vitæ innocentiam, ſingularem naturæ manſuetudinem, excellentem facundiam, & reliquas tuas dotes, quas in te ſitas eſſe intelligebam. Quamdiu igitur has ego virtutes in vllo homine amabo, fieri non poteſt, vt te non amplectar, non colam meis officijs etiam abſentem. Accedit religionis ſocietas, qua haud ſciò, an vllum auguſtius vinculum humanæ coniunctionis eſſe poſsit, vt nihil dicam de calamitoſo tuo exſulio, quod pateris propter nomen Dei, quæ res etiam non mediocriter auget meum in te amorem. Cùm enim ſimus membra vnius corporis, cuius caput eſt Chriſtus, condoleſcere nos & affici mutuis calamitatibus oportet. Iam ardens affectio & συμπάθεια non fit, niſi ex magno amore. Taceo ſimilitudinem ſtudiorum, quam non ſine cauſſa quidam matrem eſſe amicitiæ dixit. Tot igitur cauſsis neceſsitudinis noſtræ concurrentibus, fieri

non

non poteſt, vt amor meus in te, temporis diuturnitate elangueſcat, aut locorum interuallo dirimatur & exſtinguatur. Tu modò, mi Pithopœe, eandem erga me beneuolentiam retineas, & me abſentem tuis ſuauiſsimis literis & collocutionibus, per ocium fouere atque exhilarare ne deſiſtas; qua in re à me paria exſpectes, velim. Ἀντίδωρον nullum à me in præſentia accipies pro elegantiſsima tua Paraphraſi Horatiana. Diffido enim tabellario; ceterùm breui te remunerabor. Sponſæ meæ nomen eſt Elizabethæ. Facias, quæſo, aliquod omen ex eius nomine, poſteaquàm tàm bonus ominator eſſe cœpiſti. De ſtatu eccleſiarum noſtrarum poſſem multa ſcribere, ſed nunc non vacat. Alia occaſione igitur de varijs rebus ad te ſcribam; nunc malui ad te vel inanes has literas mittere, quàm nullas. Res meæ quo in ſtatu ſint, credo, te intelligere. Fui enim hoc biennio verſatus in gubernatione Gymnaſij Varadinenſis, cuius ſumma ad me delata fuit ſtatim, vbi ex Germania pedem retuliſſem. Inuitor nunc honorificentiſsimè Albam Iuliam ab Illuſtriſsimo Principe Tranſsiluaniæ, propoſito ſatis amplo ſtipendio; cui tamen vocationi non credo me obtemperaturum

propter incommoditates aulicas, à quibus, mirum, quantum refugiat animus meus. Quietem enim & tranquillitaté amo, quá neque auro, neque argento, neque honoribus & dignitatibus vendere conſtitui. Nihil enim pretioſius pia & tranquilla vita.

Expetat immundos immundus mundus honores,
Et fluxas venetur opes, hominúmque fauorem;
Ipſe meum tacito venerabor pectore Chriſtum.
Tutius eſt pietate nihil, Dominíque timore.
Vnica nam virtus hæc nos facit eſſe beatos,
Viuos, & vita functos, terráque polóque.
Felix, quem tali Deus eſt dignatus honore.
Ille Ducum vincit gazas, & quidquid in orbe
Præclarum pulcrúmque, genus mortale celebrat.
O vtinam mea quamprimùm timor occupet idem
Pectora, diuinóque animum ſuccendat amore.
Tunc non inuideam magnis ſua regna Monarchis,
Nec veterum priſcos curem miréruе triumphos,
Sed Domino, vita contentus paupere, viuam,
Ipſiúsque canam laudes & nomina, donec
In cinerem tempus collapſa redegerit oſſa.

Libuit enim hos verſus in laudem quietæ & piæ vitæ effundere. Vale mi Pithopœe, & Dauidem, veterem tuum conuictorem & hoſpitem amare nunquam deſiſtas. Coniugem tuam Adelheidam pro veteri hoſpitalitate

tate plurimùm ſaluto. De liberis tuis quid fiat, vbi ſint, cupio intelligere. Quare, cum primùm ad me literas dabis, omnia perſcribes. Iterum vale. Datum Varadini in Pannonia, 2. Iunij, 1582.

Ad Adrianum Borck Pomeranum, in Iuuenilia M. Antonij Mureti.

Cùm nos fata trahant alias violenter in oras,
Hoc tibi de ſocio paupere munus habe,
Atque tuum memori Pithopœum pectore ſeruans,
Vt facis, officio perge fouere tuo.
Sic tibi ſint faciles ad carmina docta Camœnæ,
Totáque propitio numine vita fluat.

Adriano Borck, pietate, modeſtia, doctrináque, & generis nobilitate ornatiſſimo iuueni, diſcipulo meo, ſuauiſſimo & cariſſimo, Eitelberga abitum paranti Baſileam, memoriæ & grati animi ergò, dono do hunc libellum Lamb. Ludolfus Pithop. Dauentrienſis, abitum & ipſe moliens Neapolim Nemetum, a.d. xv. kalend. Octobr. anni à nato

Chriſto cIɔ. Iɔ. xxc. quę dies olim ſuperſtitioſa religione eſt conſecrata Lamberto, quod Germanis eſt, auctore & interprete D. Luthero, ſangwerth / quæ eſt rara auis in terris, nigróque ſimillima cygno.

Ad eundem Eitelberga diſcedentem, in Summam & diſpoſitionem librorum Ciceronis de oratore ad Q. fratrem.

Sume diſcedens, hilari magiſtri
Hoc manu donum tenue, Adriane
Borckiæ quondam columen future &
Gloria gentis;
Et mihi parens benè te monenti,
Sedulò magni monumenta Tullî
Volue, qui palmam tenet inter omneis
Iure diſertos;
Cedit huic linguæ quoque laus Latinæ
Prima, nec mœſtis melior patronus
Hoc reis vnquam datus eſt, vel ipſa
Iudice Roma.
Et quia ornatè ſtudio loquendi
Duceris, verſes, moneo, frequenter,
Quæ ſuo noſter Cicero reliquit
Dogmata fratri,

Quæ viam monſtrant benè diſſerendi,
Atque prælucent reliquis, vt igneis
Inter effulget liquido minores
Aethere Luna.
Hos tibi prodeſſe queunt ad vſus.
Plurimùm, pingui tabulas Minerua
Quas fero ſcriptas, ſtudio tuíque
Ductus amore.
Corde te clauſum memori tenebo,
Me Deus terras licet in remotas
Ducat, abſentiſque tui mihi vſque
Ludet imago.
Tu lareis olim repetens paternos,
Ingenî magnis opibus decorus,
Me tuum grata celebrare perge
Voce magiſtrum.
Sic fluat dextro tibi vita Chriſto,
Sic tibi Muſæ faueant, & olim
Sic in amplexus eat expetita
Virgo pudicos.
Sed nimis longè rapit, Adriane,
Me tuî verum ſtudium fidéſque.
Ergo ſupremam capiens ſalutem
Viue valéque.

Ad eundem in eandem.

Adſpicis has quoties, doctiſſime Borckie, chartas,
Doctor eras quondam, dic, Pithopœe, meus,

Viue, vale; quidquid deprendes rectius iſtis,
Diſcere ne ceſſa; ſin minùs, iſta lege.

Eitelbergæ, VI. eidus IIX.breis, anno CIↃ. IↃ. XXC.

ADRIANVS BORCK LAMBERTO PITHOPOEO, *Præceptori meo cariſſimo ſalutem dico.*

Primæ huic epiſtolæ, Præceptor & amice magne, ſatis puto argumenti fore, ſi ſalutationem cõtineat amantem, & præterea huius itineris rationé, quod totum, ne te multis morer, ſanè proceſſit nobis ex ſententia. Tu, opinor, pro tuo erga nos animo, gaudebis, & nos itidem, ſi intereà loci cuncta tibi commodè fluxerint, non minùs lætabimur. Sed exſpectáſne à me iam aliquid amplius? quî potes, qui hodie huc primùm veni? Age verò, quoniam non minùs mihi iucundum eſt, ſermonem ad te inſtituere, quàm tibi me balbutientem audire, morigerabor tibi, itémque mihi. Tribus vel duobus, quod volo, poſſum conficere verbis, *ME AMA*; ſed plura me loqui facit dulcis illa conſuetudo noſtra, cuius ita me nunc capit deſiderium, vt ſermonis equidem ad te mei exitum nullum

lum reperiam, qui ſermo quò eſt rarior nũc, eò vult eſſe prolixior, & quod illinc accedit incommodi, copia quadam ſua cupit ſarcire. Fac igitur, vt, quod te facturum pollicitus es, quódq; ego mihi perſuadeo, perſiſtas in eo amore, quo me, iudicio tuo, deinde etiam conſuetudine noſtra intercedente, es complexus. Non graue eſt, quod abs te peto. Idem enim facere tua te vult conſtantia & virtus. Quid enim minus hominis eſt, quàm in numerum ſuorum aliquem ſuſcipere, ſigna amoris non leuia dare, & pati deinde elabi effluerréque ex animo? Ego contrà in tuenda hac amicitia conſtans reperiar & gratus, nec facere me res aliter ſinit. Quid enim? ſed plura ſcribere tempus vetat, &, quem ſtatui epiſtolæ modum, nunc adeſt. Bene vale, & *ME AMA*. Baſileæ, 18. Octobr. anno 1580.

Idem eidem.

Si te adeò, mi cariſsime Pithopœe, breuitas in ſcribendo delectat, vt etiam à principio literarũ, ad eam quaſi lege te aſtringas; equidem fateor, tuo exemplo eam me ſequi maximè oportere. Nam cùm iam anteà, te, iudicio quodam meo, egregia tua doctrina motus, præceptorem delegerim; omninò

ſentio, mihi faciendum, vt ad tuam rationẽ ſedulò & libenter me accommodem; &, cùm temporum ratio citiùs te mihi eripuerit, quàm ferre id ſtudia mea videantur; arbitror ſanè, rem ipſam me monere, vt ita me comparem, quò porrò abſens tuarum monitionum ſemper reperiar meminiſſe. Sed tuam tamen in ipſo breuitatis ſtudio felicitatem agnoſco. Neque enim me fugit, quàm ipſum ſoleas te ſubaccuſare, quaſi verborum prodigus, nimis diu, etiam non ita arduis rebus immorêre. Certè in hoc ipſo breuitatis genere ita nũc verſaris, quaſi ſemper ſtudio id tibi habueris. Habeo itaque, quod eo tibi nomine gratuler, & mihi porrò ſuccenſeam, qui, cùm eam ſcribendi rationem penè in omni ſermone ſolitus ſim laudare, etiã laudibus extollere, tamẽ in hoc præſenti inſtituto meo, eam omninò nõ poſsim ſequi, nedum aſſequi. Puto, & quid puto? quin immò, verè in me accidere video, quod, neſcio apud quem Poetarum, ſcire tamen debeo, ergo opinor, Ouidium, ſcriptũ habetur,

Video meliora probóque, Deteriora ſequor.

Ita enim & ego me ad ſcribendũ parans, breuis eſſe meditor, & ſtatim neſcio quæ ratio deliberata breuitate me abripit & abducit. Hoc mihi, vt verum fatear, non quidem accidit,

cidit, niſi ſi ad te ſcribendum eſt, quod cumprimùm facere ingredior, videor in tàm lato campo verſari, vt nullum ferè exitum reperiam. Sed quid ago? quò progredior? Idipſum nunc mihi accidit, vt nullum queam orationis exitum reperire; finis tamen aliquis mihi conſtituendus eſt, ni velim volumen ad te, non epiſtolam mittere. Ad tuam igitur epiſtolam reſpondebo quàm potero breuiſsimè. Amare te me dicis, & promittis, ita ſemper fore; te redamari petis. Honeſta poſtulas. Facilè verò tibi poſſum gratificari, primùm, quia æquum eſt, & merita in me tua id omninò flagitant; deinde quia is es, quem vel ignoti meritò; &, quod caput eſt, quoniam parem ac mutuam beneuolentiam polliceris. Hoc, inquã, me maximè tuum facis, aut, quia ſum iam antè, retines, cùm is ſit meus animus, vt, quos ipſe diligam & amem, ab ijs mẽ quoq; cupiam redamari. De Paraphraſi tua Horatiana quietus eſto; nihil temporis longinquitas me mouet. Omninò quod tu mihi obtuleris, nunquam ſerum mihi videbitur. Quòd me ad virtutis & doctrinæ ſtudium hortari & incitare non ceſſas, ſcilicet more tuo. Eſt autẽ, crede mihi, eiuſmodi hortatio grata mihi inprimis, quia ex animo

amante meî proficiſcitur. D. Eraſtus te cum vxore tua & D. Iungnitio reſalutat, itémque meus magiſter Theophilus. Saluebis ex me cum tua Adelheida & liberis. Meis verbis Iungnitium, quæſo, reſaluta. Baſileæ, 18. Nouembris, 1580.

Idem eidem.

Næ ego debitor ſum tardus, tu verò creditor certè remiſsior. Nam ſi moroſulus eſſes, non paterére, tàm multis me tibi obſtrictum nominibus, tàmdiu promiſsis non ſatisfacere. At vt aliqua ſaltem ex parte, ex auorum & antiquorũ me fide cenſeas, mitto, quod tibi iamdiu debeo, & mitto abs te non compellatus, quod nolim te vulgare beneficium arbitrari. Nam, vt nunc ſunt mores, niſi decies aut etiam ſæpiùs appellatus reddit penè nemo. Sed nos non ex illorum numero. Quid autem, quod illud minutiùs & acciſum magis reddimus, quàm aut fides noſtra interpoſita, aut tua poſtulant merita? Caue Pithopœe, iſtuc dicas. Nam certè cõprehendere me & tenere nulla potiùs quiueris ratione. Sed tamen (anxiè quæro excuſationem, & vix reperio) veruntamen non poteſt quis tàm antiquis nunc eſſe moribus, quin horum temporum vitia iſtam

iſtam maiorum integritatem & cõſtantiam aliquo modo contaminent & labefactent. Sed finis ſit facetiarum. Ego, mi præceptor & amice colende, me multis modis tibi obligatum ſcio & fateor, conorque reſpondere tibi officijs, quod tamen video nõ ſatis ſuccedere. Munus ergo ad te, leuidenſe id quidem, attamen munus, pro Paraphraſi Horatiana, à te meo nomini inſcripta, adornare volui. Sed vt videas tamen, me officium abs te tributum mihi, cumulatius expectare; à te peto, vt, quod cœpiſti, &, quod maius, quod ſtipulatus es, (agam enim nũc tecum, vt nouus leguleius, aut potiùs Iuſtitiæ iurísque ſacerdos) id perficias. Credo, fore illud indicium conſuetudinis noſtræ illuſtre, ſi perfectum fuerit: ſi ita ſinas, vt nunc eſt, non video, ſi noſttûm vtriuſqne memoriæ inſeruire voluiſti, quid profeceris. Nec verò ita mihi ſatisfeceris, ſi, vbi perfectum fuerit, alteri alicui dicaueris. Mihi enim operis principium, &, ſi ita vis, cauſſam, alijs vberiorem prouentum, quorum tamẽ commodis & honori, cuius (quod ſaltem concedes mihi) ego auctor fuerim, non herclè inuidebo, deferre, per mihi iniquũm, nec te noſtráq; amicitia dignum videbitur. Hoc igitur nunc curabis, nec debebis mihi diutiùs.

Nam me creditorem tam facilem & remiſſum, quàm tu fuiſti, nõ experiêre. Vale. Baſileæ, 17. Maij, 1581.

Idem eidem.

Heſterna die, quæ fuit XIV. kal. Octob. accepi tuas amantiſsimè ad me ſcriptas literas, ad quas nunc ordine reſpondebo, cùm noſtri Eraſti ad vos profectione, ea mihi oblata ſit occaſio, quam ego verò optare potuiſſem. Ac vt ad eas, vel ad te potiùs, mi Pithopœe, me conuertam, quid eſt, quòd adeò ex omnibus partibus, tuus in me amor ſeſe prodit & oſtendit? An, quia non ſemper locus aut tempus datur. ſeſe erga me declarandi, ſæuit atq; erumpit aliquando, ceu flamma arctiùs compreſſa atque concluſa, vehementiùs? Crede mihi, tale quid id eſſe videbatur], cùmprimùm vidi, ἀντίδωρον noſtrum adeò te celebrare, virtutes meas, munificentiam narrare denique, in quo ſi ſemper perſtiteris, vt tàm paruum, magni muneris eſſe loco ducàs, næ tu nunquam, mi præceptor & amice, ex donis magnopere augebere, aut rem etiam facies: ſi verò me meáque reſpiciens, ſatis eſſe duxeris pro re mea, quod

alij pleniùs largiri aut poſsint, aut debeant; amo amorem in me tuum. Sed hoc tamen præter inſtitutum, quidquid fuit facetiarum, neſcio quæ tecum, innata mihi, credo, iocandi cupido aſperſit. Vnum hoc dico; te nimis prolixè agere mecum video. De paraphraſi Horatiana ſi fidem ſolueris, rem mihi gratiſsimam facies, nec tamen mihi ſoli, ſed multis, qui ad optimi auctoris lectionem, vel intellectum potiùs, alioquin non ſemper ita facilis, tua opera adiumentum non paruum habebunt. Quoniam verò grandiuſculus erit liber, præſertim ſi in Odarum 4. libros (quod itidem opto) ſcribere Paraphraſin conſtitueris; video, breui ſpatio opus id abs te confici non poſſe. Age verò nunc, noſtráne ſeriò carmina laudas? non herclè credo. tibi dico, ſi me rides, te ipſum rides. quoniam quidquid hoc eſt, ex tuis fontibus fluxit. Ego poſteaquàm illud primum dedi,

Triſtis & auſterus licet in ſua pignora patrum
Sit vultus; mens eſt ſemper amica tamen,

ſcis, quàm deinde nõnihil abs te exercitatus id egerim. Poſteà Baſileam veniẽs præceptore, te, inquã, deſtitutus, egi idem aliquantò

pro mea parte diligentiùs, quòd reipſa experiebar, non ampliùs tuis alis me ſubleuari, aut ſuſtentari, ideóque inſolitos niſus mihi vehementiùs & incitatiùs eſſe ſumendos. O mi Pithopoee vtinam mihi nunc liceret per annum ſaltem tua inſtitutione vti! Sed fruſtrà has mecum rationes deputo. Redeo rursùs ad mea carmina, & narro tibi, euenire mihi, quod malis plerunque medicis, qui cauſſas morborũ & omnes circumſtantias tum demum intelligunt, poſtquàm perijt ægrotus. Sed quid multa verba? Scin', quid ego exiſtimaturos quoſdam de meis carminibus arbitrer? Adrianũ Borck apud Lambertum Ludolfum Pithopoeum aliquid forſitan didiciſſe, ſed nimis citò ab hoc ſeſe ſegregaſſe; qua in re illi etiam non multum à mea opinione aberrabunt. Mitto tibi Heroiambicum & Sapphicum, quæ hîc in honorem meorum amicorum nunc modulatus ſum, addo etiam Pſalmum 73. nuper à me, tenui hoc carmine conuerſum. Pulchrè abſcedo, ſi etiam in his optimi præceptoris diſcipulus videar non inſtrenuus. Iani Pannonij poemata bis requiſiui! nec Frobenius ipſe, nec operæ domi fuêre. Sed ſedulò diſquiram, &, ſi inuenire ea potero, cer-

certò à me feres. De Mureti libro in diem eſt quod minitaris. itaq; vbi iſtuc venero. Plura cupientem charta deficit. Itaque vale & ſalue, & noſtris Dobbino, Vvitekindo, Iungnitio verbis ſalutem. Baſileæ 23. Septembris, Anno 1581.

CARMEN GRATV-LATORIVM

IN HONOREM DOCTISS.
ET ORNATISS. VIRI
PAVLI BRVCKNERI CRO-
NACENSIS, CVM EI
MERITISSIMO
SVMMVS IN VTROQVE
IVRE GRADVS,
AMPLISSIMO CONSVLTORVM
IN SCHOLA BASILEENSI
DECRETO.
A. D. IIX. CAL. IVN. SALVTIFERI
PARTVS ANNO CIↃ.IↃ.XXCI.
FAVENTIBVS VNIVERSIS ET
SINGVLIS CONFERRETVR.

PROVIDA *cùm magnum rerum natura crearet*
Opus,potente quod tuetur dextera,
Et tādē ſollers hominē,mortale theatrū,
In quo videres magna facta numinis:
Eximium ſolum hunc habuit ſibi,quódque negauit
Reliquis creatis,largè in illum contulit:
Et (magnum indicium magni cupidíque fauoris)
Ratione fecit anteire cæteris.

Hoc

Hoc porrò illuſtri cumulauit munere munus,
Sub eius omne tranſdidit pecus manum.
Quippe nec auguſtis alienum legibus eſſe
Putabat, imperaret hic vt omnibus,
Queis tantò eſt potior præclaro munere. Tantæ
Ingentis ergo reddidit potentiæ
Participes nos ſola Dei indulgentia prima,
Fouere nos & excitare quam decet
Peruigili ſtudio, vt brutis nos iure probemus
In hoc theatro digniores omnibus.
Quod, Brucknere, tuis cùm primis ſemper ab annis,
Vt aſſequare, ſis ſequutus nauiter,
Ac operæ dignum & precium immortale reportes,
Plaudentibus fauentibúsque ſingulis,
Scilicet vt noſtri ſententia dia ſenatus,
Honore dignum te ſupremo deputet,
Vulgaréſque tibi cœtus, quos principe dono
Vincis, feris quo præferuntur beſtijs,
Committat, quorum ambiguas pernoſcere lites
Queas, vti conſultus, & diffindere:
Itcircò partum tibi nunc gratamur amici
Decus perenne, quod tueris ampliter,
Optamúsque nouum vt prouentu diuite fructum
Aetate maiorem velut nunc exſeris,
Sic porrò te fata vehant, nec flore perenni
Te, deterit quæ cuncta, diſpoliet dies.

Baſileæ facieb. Adrianus Borck
Pomeranus.

PHILIPPO VVAIMERO DANTISCANO,

Ob morum integritatem, exactam ſcientiam, & multiplicem rerum vſum

ad ſummum in V. I. gradum euecto,

Adrianus Borck Pomeranus A. A. honorem debitum gratulatur.

QViſquis excelſum ſuperare gaudet
Verticem, cunctis vbi dia virtus
Diuidit iuſta trutina laborum
Præmia digna:
Multa firmata hunc tolerare mente,
Et vagas inter ſalebras oportet,
Feruidum in præſens, memorem nec acti
Antè laboris,
Semper anguſto ſtadio mouere:
Síque conetur ſinuoſus error
Fallere, aut ſortis varia libido
Ludat inermem,
Lætus aduerſis, trepidus ſecundis,
Per vices curſum moderetur omnes,
Cautus & quæ præcipitant, relinquat
Deuia plantas.

O ter,

O ter, ô multis numeris beati,
Hos quibus caſus dedit æqua virtus
Vincere, excurſo ſtadio & fouendos
Quos ſibi ſumit.

Contigit finis ſtudijs Philippe
Hic tuis. nam nunc apice occupato
Montis extremo benè iam procellas
Deſpicis omnes.

Id tibi circo reparata merces
Digna, certatim properántque Muſæ,
Magnam, at ingenti ſtudio petitam ap-
ponere laudem.

Sume quæſitum meritis honorem,
Quippe magnorum decet & laborum
Præmium magnum ſtatui, exigente hoc
Ordine rerum.

Turba Muſarum tibi plaudit omnis,
Et melos cantat, reliqui ſodales
Accinunt Io Io, ſolidéque magna hæc
Gaudia gaudent.

Baſileæ, anno 1581.

Pſalmus LXXIII.

Quàm bonus Iſrael Deus &c.

Quidquid malorum, concitat improba
Turba inſolentum, certa manet tamen
Prolis beatæ ac innocentis
Spes Deus & ſolidum leuamen.
Meos at error penè fefellerat
Greſſus; dolebam, quòd malè pertinax
Sors cuncta miſceret benignè,
Quæ cuperent ſtolidè ſuperbi.
Nam nulla fati dira neceſſitas
Hos tangit vnquam; ſed velut ardua
Fundata firmis ars columnis,
Mole ſua mala quæque frangunt.
Et certa, quæ nos perpetuò manet
Sors, qui gementes incolimus breuem
Vitam, vt malis exerceamur,
Aggrauat hos inimica nunquam.
Hinc efferunt tantos quoque ſpiritus,
Quæcunque mente inflatiùs afferunt,
Vt ſumma iactent; ceterorum
Præque ſuis pia facta temnant.
Et impotenti ſunt ita turgidi
Faſtu, inſolentes præ nimio malo,
Vt perpetrent, quodcunque tandem
Mens agitat maleſuada crimen;

Car-

Carpant ſuperbè qualibet, intonent
Ex alto, & omnes deſpiciant bonos;
Sed quidquid ipſi dictitârint,
Lege velint ſtabili teneri.
Sic ergo vulgus decipiunt rude,
Plebémque technis illaqueant ſuis,
Vt, qualis auctus fertur amnis,
Affluat his numeroſa turba.
Dicunt, inaneis ſpes fouet indigus,
Suæ ſalutis qui locat anchoram
In numen æternum. ſuperbè
Deſpicit hoc etenim caduca.
Sic inſoleſcunt perpetuò impij,
Dúmque hæc loquuntur, largiter affluunt
Rebus beati, nec quietum
Exigit his magis alter æuum.
Sed rector orbis, num tua ſedulò
Mandata fruſtrà iugiter exſequor?
An nulla merces eſt repoſta
Integritati, animóque puro?
Indigna quæ non me miſerum quatit
Sors? plaga quando deſinit, heu, mea?
Recens ſimul lucem refundit
Sol, mea pars oritur laboris.
Erat, malorum dicta ferocia
Voto vt probârem penè meo; leuis
Sed reprobaſſem, quos amata
Pignora tu tibi ſegregaſti.

Tandem retruſum hoc conſilium ſtupens,
Id mente fixa inquirere perſtiti;
Fruſtra ſed æternis minorem
Conſilijs animum occupaui,
Donec ſacratum conſulerem, DEVS,
Limen, benignus quo bona diuidis,
A téque me vellem doceri,
Vltima reſpicerem & malorum.
Tunc euidenter hæc penitùs mihi
Abſtruſa primò res patuit, gradu
Hos lubrico quòd collocaſti,
Quos validè tua dextra ſternit.
Cladi propinquum percipiunt bonum,
Et planè eorum fit breue gaudium;
Merguntur vndis, nec regreſſus
Exitij trepidis patebit.
Vt vana fuco ludificant leui
Mentem inquietam ſomnia, ſoluitur
Sic omnis in fumum, malorum
Pompa, refert nec imago corpus.
Sed interim ardor macerat anxium
Liuore pectus ſollicito mihi,
Quòd cenſeor ſtultus, caréns que
Iudicio & ratione brutum.
Vtcunque diris hæc animum modis
Vexent, refractum non tamen auferent
Abs te, DEVS. *me namque dextra*
Vſque regis bonus atque firmas.

Immenſa prorsùs vis ſapientiæ,
Et certa, ducis qua via debilem.
Me triſtibus quamuis fatiges,
Fine bono mala cuncta claudis.
Quid regna mundi, vanáque gaudia
Hic impiorum, præ ſolido tuo
Morer fauore? hæc cuncta ſperno,
Tu modò ſi mihi promtus adſis.
In peius ergo cuncta ruant licet,
Tabeſcat æſtu cor trepidum mihi;
In morte dira tu ſalutis
Spes remanes mea, ſorsq; dulcis.
Nam iuſſa ſpernunt qui tua, duriter
Punis rebelles, ac alijs Deis
Qui fornicantur, iuſtus ira
Perpetuis tenebris recondis.
Sincera vitæ me manet vnica
Ergo hæc voluptas, vt celebrem, DEVS,
Te iugiter, præclara puro
Facta canens tua ſemper ore.

Baſileæ Rauracorum facieb.
Adrianus Borck Pomeranus, menſe Martio, anno â nato Chriſto CIↃ. IↃ. XXCI.

Ad Borckium meum ἀμοιβὴ pro elegantiſsimis ad me Baſilea miſsis verſibus.

Inſanire libet quoniam tibi, carmine carmen,
Et ioca grata iocis, & dictis dicta rependam
Seria, párque pari referam, (mihi turpe relinqui.)
Exemplóque tuo, nec pes mihi, nec caput vni
Reddentur formæ, ſed quidquid blanda libido
Suggeret, id chartæ iuuat illeuiſſe patenti.
Me niſi deficeret vini cratera rubelli:
Ante diem clauſo compoſſet veſper Olympo,
Quàm tibi ſecuras & nil ſibi tale timentes
Deſinerem & patulas obtundere verſibus aureis,
Verſibus à Cirrha procul & Permeſſidos vnda,
Ad Nemetum celſi prognatis culmina montis;
Nec malè tornatos incudi reddere verſus
Curarem, (doctos decet iſthæc cura poetas)
Ordine quos inter tu nunc cenſebere primo,
Et paſſim fauſtis Pomerania tota ſonabit
Vocibus, & lætos repetent ad littora cantus
Baltica, Pieridum Charitúmque corona ſororum:
Iam noua progenies gelida deſcendit ab arcto,
Progenies vatum, quos inter Borckius heros,
Noſter amor, noſtrum decus, & noua gloria, tantum
Extulit eximiam laudato vertice frontem,
Quantum humiles inter quercus procera myricas,
Quantum igneis inter cælo vaga Luna ſereno

Emi-

Emicat ætherios; habeat nunc Roma pudorem,
Neccarides etiam nymphæ genuêre poetam;
Gallorum deinceps Pomerania ſola retundet
Et tumidos Italûm, præſtanti carmine, faſtus.
Borckius hanc referet Parnaſſi vertice laudem,
In patriam primus, ſtudio curáque fideli
Lamberti, tanto qui iure ſuperbit alumno.
Laurea nunc hilares Pomerano ſerta poetæ
Nectimus, atque nouos iuueni meditamur honores,
Promeritos noſtrî ſtudio, vigilíque labore.)
Splendida ſed quidquid vel flaua, vel atra tenenti
Iam calamum; bilis dictaret, fundere magno
Impete tentarem, ſtultáque libidine chartam
Verſibus implerem rudibus, nugíſque canoris,
Securus, ſeu praua cadant, ſeu carmina recto
Stent talo; quidquid rigidi cenſura Catonis
De numeris & de dictis decerneret iſtis,
Aequo ſuſcipiens animo, vultúque ſereno.
Sed ſatis eſt. ne me Textoris ſcrinia Iani
Compilaſſe putes, verſum non ampliùs addo.
Ceſſatum huc vſq; eſt, nunc iam expergiſcere porrò,
Occinit, & dextram vellit mihi Cynthius aurem;
Iámne vides, quantò veteranum tiro, magiſtrum
Diſcipulus greſſu anteeat te Borckius, ille
Borckius, Aonidum magna & noua cura ſororum.
Effugere ignauas pretioſi temporis horas
Dum ſinis, atque piget calamo triuiſſe labellum,
Dum cupidus ſiccas ſpumantia pocula labris

Cum comite Oſteno,pSeiræ trepidantis ad vndas,
Vitifero Nemetum quà docta Neapolis agro
Aſſurgit,totum ſpargens ſua ſcripta per orbem,
Dum tua te lecto retinens Adelheida tepenti,
Indulget tecum ſomno,blandíſque querelis,
Sexta reuertentem donec percuſſerit vmbram
Linea,depulsis abeátque aurora tenebris.
Occupet extremum ſcabies,locuplésque podagra
Te,niſi mollitiem hanc animi,conamine magno
Eÿcis,& veteres reparas in carmina vireis.
Téne virum iuueni,vatis concedere palmam?
Téne virum,pridem cœptis deſiſtere victum,
Nec poſſe egregio Pomeranum vincere vatem
Carmine,bis denos qui vix meuſeiſque quaternos
Ante,bonis potuit verſum concludere verbis?
Non hæc Ludolfi mihi prouida cura parentis,
Non hæc Chytræi,non hæc mihi Nouiomagi,
De te promiſit,non mundi θαῦμα Melanchthon;
Non te ita Panorÿ claris ſub mœnibus olim
Geſsiſti,certans ſemper melioribus,annos
Ter ſenos.annon nimis hoc,Pithopœe,pudendum
Eſt tibi,nunc primùm poſtremos inter eunti?
Hæc vbi ſecretam iratus mihi Phœbus in aurem
Depoſuit,tenueis ſubitò diſceſsit in auras,
Multáque plorantem,& me ſeria multa volentem
Quærere,ſupplicibus veniámque expoſcere votis
Segnitiæ,inſuetis ſolum me linquit in oris,
Conſilÿ atque æris vacuum,ignarúmque viarum.

Obſtu-

Obſtupui miſer extemplò, iuſtóque pudore
Demitto auriculas, vt duræ ſortis aſellus,
Nec, licet & lacrymis, & multis ſæpè vocatus
Pòſt mihi ſupplicijs, placidam tamen hactenus aurẽ
Præbuit, & ſolito me non dignatur honore.
Ex illo fluere in peius, retróque referri
Spes, & opes, & res noſtræ, paupérque tabernam
Non benè conductam mutans, exſangue cuminum
Rodere conſueſco, & precibus pretióue paratis
Caſtaneis lenire famem, & campeſtribus herbis.
Sæpè tribus folijs lactucæ ducere cœnam
Cum famula patrem, matrem, atq; ex ordine gnatos
Bis binos vna cum gnata cernere poſſis,
Heſternóque atri de iure vorare recocti
Particulas auidos panis, veteríſque ſuillæ
Paucula ieiunos ſemeſa & rancida fruſta,
Latrantíque gulæ ter coctam infundere crambem,
Rugoſúmque cicer, viléinque abſumere lentem,
Butyri & nullo lardíue peruncta liquore
Rapa, & Pythagoræ menſis inuiſa tumenteis
Fercla fabas. pòſt tàm dapibus ſaturatus opimis,
Diſcipularum inter iubeor plorare cathedras
Vnius alteriúsue. & ſic mea labitur ætas
Sub cœlo, ſupra terras, intérque dolores.
Ergo agè, quandoquidem ſic fata aduerſa tulêre,
Vt rudis argutos ſubter repam anſer olores,
Et mea me prohibet ſors & penuria rerum,
Queis ſine non faciles veniunt ad carmina Muſæ,

COELO
MISE
ſuRIAS
TER-
RAM.

Tollere humo caput, & fonteis luſtrare remotos
Aonidum, ac longè lætum volitare per ora
Docta virûm: docti cedo tibi carminis artem,
Dóque manus, non ſponte tamen, (tu parce fatenti)
Sed tibi cantando, victori porrigo victus
En herbam, & merita cingens tua tempora fronde,
Macte animi virtute noua, & felicibus auſis,
Laurũ hanc victricẽ, & tibi lampada, Borckie, trado.
Tu facito, mox cùm fixi mihi terminus æui
Venerit, & me naturæ ceßiſſe videbis,
Iſta meo gratus cures ſculpenda ſepulcro
Carmina, quæ noſtrũ celebrent poſt funera nomen:

,, *Hic ſitus es, doctos inter numerande poetas,*
,, *Ingenium niſi dura tuum tardaſſet egeſtas,*
,, *Résq; anguſta domi aut patronũ ſidere fauſto,*
,, *Si maturè eſſes nactus, Pithopœe, benignum.*
,, *Borckius hunc victo victor per carmina cippum*
,, *Diſcipulus ſtatui doctori, parua laborum*
,, *Præmia magnorũ, at gratam teſtantia mentẽ.*

Neapoli Nemetum, Nonis Octobribus, anno 1581.

Dialogus Borckij & Pithopœi, ad imitationem odes Horatianæ nonæ libri 3.

BORC. *Borckius his ſpreto Pithopœo viuere terris*
Cùm potero, fient Pontus & ignis idem;
Teutonicos Tibris ſuperatis Alpibus, agros,
Et Latios verſis Renus obibit aquis.

PITH.

PITH. *Rene retrò propera, Latios iã Tibri colonos*
Deſere; iam fiant Pontus & ignis idem.
Borckius his ſpreto Pithopœo viuere terris
Ecce potes. quid non hora locúsque ferunt?
Quàm procul ex oculis veteris tibi vultus amici,
Tàm procul exceſſit limine cordis amor.

BORC. *In Boream ſolito decurrere limite perge,*
Oceanóque tuum mergere Rene caput,
Et tu Tibri tuam ne lambere flumine Romam
Deſine; nec fiant Pontus & ignis idem.
Borckius his ſpreto Pithopœo viuere terris
Non queo. non vnquam hoc hora lócúsque ferent.
Nam licet ex oculis veteris mihi vultus amici,
Non tamen exceſſit limine cordis amor.

PITH. *Si ſolitum noſtri retines conſtanter amorē,*
Dic, mihi cur à te littera nulla redit?
Ergo meos ſiſtas vt tandem, Borckie, queſtus,
Tarda licet, veniat littera grata tamen.

BORC. *Poſtquàm nos Tigurum cepit, Baſilea reliquit,*
A nobis tibi ſic littera nulla redit.
Ergo tuas poſthac ſiſtam vt, Pithopœe, querelas
Parua licet, veniet littera crebra tamen

PITH. *Hoc volui. noſtras placidus ne ſperne querelas.*
Sunt illæ, mentis nuntia certa meæ.
A te parua mihi redeat quò littera, rursùs
Iſta tibi à nobis littera blanda venit.

Neap. Nem. Nonis Nouembrib. 1582.

GRATVLATIO SCRI-pta in honorem Doctoratus, Ornatiſſimi & doctiſſimi iuuenis,

HIPPOLYTI A COLLIbus Iuriſconſulti.

Hippolyte excelſos referens cognomine colles,
Ni tibi promeritos quamprimùm certet honores,
Præmiáque ingenti perſoluere digna labore,
Iuſtitia, & recti, & legum veneranda poteſtas:
Haud equidem has poſthac talis dignabor honore
Nominis: & ſolitæ non reddam munera laudis.
Ergo agite, vt iuſti vobis iterentur honores,
Iuſtitia, & recti, & legum veneranda poteſtas:
Hippolyti merita præcingitè tempora lauro,
Lauro, quæ liquidis adnata eſt fontibus Aequi,
Et Iuris Legúmque ſacris adoleuit in hortis.
Dum loquor, euentu firmat mea vota ſecundo
Optimus & læti rector ter Maximus orbis.
Ecce tibi, Aonio deducens vertice Muſas
Pulcer Apollo redit, Charitum comitante corona;
Ponè ſubit vultu teſtans & gaudia voce,
Iuſtitia, & recti, & legum veneranda poteſtas,
Et pariter celeri tendunt ad mœnia greſſu,
Mœnia, vbi celſas attollit in æthera moles,
Et ſtudijs ſedes præbet Baſilea quietas,
Quam rapido ſcindens humectat gurgite Renus.

Huc

Huc vbi deuentum, mox culti docta Lycei
Pulpita non ſegnes adeunt, cœtúque frequenti
Doctorum, & denſa iuuenum plaudente corona,
Iuſtitia, & recti, & legum veneranda poteſtas,
Et blandæ Charites, & Phœbo iuncta ſororum
Turba nouenarum, pleno ſperata laborum
Præmia portantes cornu, dextráque benigna,
Hippolyti merita præcingunt tempora lauro,
Lauro, quæ liquidis adnata eſt fontibus Aequi,
Et Iuris Legúmque ſacris adoleuit in hortis,
Et longa vnanimes vitæque ſecunda precantes
Tempora tàm caro capiti ſudore paratum
Et vigili dudum ſtudio gratantur honorem.
Salue fauſta dies, niueóque notanda lapillo,
Labere, & exacto ſemper melioribus anno
Auſpicijs optata redi, cœlóque ſereno
Vſque meo læta Hippolyto illuceſcere perge.
At tu, iam tanto felix & clarus honore,
Hippolyte, & geſtans victricem vertice laurum,
Auguſti Doctor iuris, ſanctæque ſacerdos
Iuſtitiæ, & veterum interpres doctiſſime legum,
Sis memor, vt repetens animo curáque fideli,
Quid, quantúmque tibi Charites, quid doctus Apollo,
Pieridúmque ſacer cœtus, quid denique ſancta
Iuſtitia, & recti, & legum veneranda poteſtas
Contulerint, merito has gratus venereris honore,
Et tua largè harum templis accendat odores
Dextera, tum feſtis redimitus frondibus aras

Sæpè tuis rediens ab ouilibus imbuat agnus.
Sic tuus illarum fœcundus honoribus vſque
Creſcet honos, noménque tuum, laudésq; vigebunt,
Sidera dum cœlum, dum gramina campus habebit.
Et benè ſuadenti quia credit amicus amico,
Stat ſua cuique dies; Breuis huius terminus æui,
Omnibus, Hippolyte, eſt fixus mortalibus. ergo
Dum vires anníque ſinunt, dum ſuppetit ætas,
Confer in humani generis, tua dona, ſalutem,
Et vi preſſorum conſtans, vel fraude maligna,
Conſilio & lingua cauſſas defende reorum.
Vade, age, & ingentē meritis fer ad æthera famam.
Iuſtitiæque ſtude & verus perge eſſe ſacerdos.
Sic tibi longinquos vitam producat in annos
Ille potens mundi Dominus, rerúmque creator,
Sic tandem ereptos reddat tibi patria colles.
Hæc tibi nòn viſo non viſus amicus amico,
(Abſentes etiam, nec viſos iungit amicos,
Hippolyte, & ſeruat virtus doctrináque iunctos.
Has mihi, iucundis de te ſermonibus ornans
Rettulit ille meus, vero tibi iunctus amore,
Aonidum decus, & Pomeranæ gloria gentis,
BORCKIVS, *ingenio iuuenis virtutéque præ-ſtans.)*
Hîc vbi vitiferos fœcundat paruula colles,
Et bifido campos defluxu Speira patentes,
Ingenuáſque fouet, licet arcta, Neapolis artes,
Hippolyte, optabam tacitus; tu vota precéſque

Has cape pro merito dictas tibi lætus honore,
Méque tuos inter ne ſperne referre ſodales.

Neap. Nemet. 23. Aprilis, 1583. præſente meo Borckio.

Nobiliſsimo & optimo, doctrinæque & virtutis ſtudioſiſsimo iuueni, D. Guſtauo ab Oſten Pomerano, ex ſchola Neapolitana Nemetum ad ſuos reditum paranti, felix iter & totius vitæ curriculum, hac elegia precor optóq; à Domino.

Hæc, Guſtaue, tibi ſinceri pignus amoris,
Imparibus ſcribo verba ligata modis,
Hîc, vbi vitiferos iam docta Neapolis hortos
Adſpiciens, Clarijs nobilitatur aquis,
Nubit vbi tremulis oratas Speira ſub vndis,
Et Nemetum paruo gurgite ſindit agros.
Me tibi, téque mihi tranquilla ſub oſtia Nicri
Vrbs ſita, déque mero nomina monte gerens,
Doctrinæ primùm & veræ virtutis amore,
Fœdere iucundæ iunxit amicitiæ.
Auximus hanc deinceps iſtis conſtanter in oris,
Quà Vogeſi Nemetum prata tuetur apex.
Nunc etiam, ſcis ipſo, diu cuperemus vterque
In ſtudijs ceptam continuare viam.

Coniunctiq; locû, veterum monumenta Sophorum;
Et bona cum rebus diſcere verba bonis,
Ac ſenſim aßiduum ſtudio minuente laborem,
Caſtalij propiùs fontis adire Deas.
Eſt aliter viſum, cuius ſapientia noſtris
Iudicijs præſtat conſiliíſque, Deo.
Spéque tua citiùs, non parui cura laboris
Ad patrios hinc te cogit abire lares.
Quid facias? quod ſors fert, æqua eſt mente ferendū,
Ipſe tibi curas ni duplicare velis.
Aſt ego ſub tenui, & tibi nota hîc pelle latebo,
Et mea quod poſcet Sparta, quietus agam,
Aequa mente ferens, quidquid me ferre iubebit,
Cuius ad arbitrium ſtabo cadámue, Deus.
Ergo locis quoniam poſthac ſeiungimur, vnum
Quod ſupereſt, ſit mens iuncta & amica tamen.
Túq; VIATOREM hūc cernes quādoq;, ſubinde
Sparge, meus quondam doctor & hoſpes eras,
O mihi per longi benè cognite temporis vſum,
Symbolon hæc cuius parua tabella refert.
Vſque tuî gratus meminiſſe ſtudebo, tuíque
Ante oculos ludet ſemper imago meos.
Tu Guſtaue, meo contrà cariſſime cordi,
In me pro m. ritis officiíſque tuis,
Hoc tibi, non dubia de me promittito mente,
Si placui, ſtudium ſi tibi dulce meum;
Seu longinqua mihi venit exſpectanda ſenectus,
Siue meum ſupra mors volat atra caput;

Quæ

Quæ me cunque ferent hoc æui tramite, terræ;
Aeger, ſeu ſano corpore lætus agam;
Quiſquis erit vitæ, nitar, color, vt duce Chriſto,
Noſtra pari maneant pectora iuncta fide.
Ac prius aeria piſces paſcentur in vlmo,
Et medio nidum figet hirundo mari,
Quàm tuus ille meo labatur pectore vultus.
Hanc tibi do, conſtans hanc mihi redde fidem.
Ergo vale. Guſtaue vale; deducat euntem
Chriſtus, & æterna te tueatur ope.

Hæc tibi, Guſtaue cariſsime, amicus amico, hoſpes hoſpiti, præceptor diſcipulo ſcribebam in perpetuã & dulciſsimam mutuæ noſtræ fidei & amoris recordationem, Neapoli Nemetum, kalendis Aprilibus, anno à nato Chriſto cIↃ. IↃ. XXCII.



HIC INCERTA MIHI EST,
ÆTERNĀ QVÆRITO SEDEM

Sat felix ego sum, sed in hoc feliciter uno,
Quod dat ab Christi dextra utrumq pati:
20. 7bris, Anno 90. H: Vesp:

Doctiſſimo humaniſſimóque iuueni, Philippo Zuindern Rigenſi, Liuono.

Allobrogum quondam natum feliciter oris,
Quem legeres hilari fronte, Philippe, librum,
Mentio cùm fieret ſub cœna grata iocorum,
Quos meritò ſtudijs turba dicata probant,
Muſa tibi coràm tradens Pithopœa, ſereno
Aut hos, aut ſimileis addidit ore ſonos;
En tibi iampridem promiſſos accipe ludos,
Queis immixta ſimul ſeria multa leges.
Defeſſam quoties ſtudio grauiore Camœnam
Vis ſalibus, licitis & recreare modis,
Deſere paulliſper perplexi pulpita Iuris,
Quæ vigili nimiùm mente manúque teris;
Et lege tranquilla quem porrigo, mente libellum;
Inde feres curæ præmia digna tuæ.
Quòd ſit vera, ſcies hinc, certáque regula Flacci,
Quam docet in ſatyris non ſemel ille ſuis;
Ridiculi meliùs magnas plerumque ſecant res,
Acria quàm poſſint dicta ſecare, ioci,
Nec male de veris narratur ludicra rebus,
Mutatis tantùm fabula nominibus,
Et cadit vrbano lis atrox ſæpè cachinno,
Ridentémque nihil dicere vera vetat.
Adde, quòd & dulceis inter conuiua ſodaleis,
Cùm pellunt curas Liber & alma Ceres,

Quæ regeras ſalsè mordenti ſcommata momo,
Hoc etiam gratis promere fonte queas.
Exſpectas, tantis verborum flexibus auctor
Quis mihi, præclarum quódue notetur opus?
Si potero, dicam; ſed verbis dicere non eſt
Integris, Tanti nomen opúsque viri.
Grammatice, & duri nimium lex carminis obſtat,
Carminibus nunquam lex ſatis æqua meis.
Vatibus at quoniam licuit, ſempérque licebit
(Fortè aliquo hos inter me ſinis eſſe loco)
Vellere coniunctas, & vulſas iungere voces,
Vantius & Paſſa hoc edidit auctor opus.
Nec tamen hoc tenue & cognomen vile putabis;
(Sæpè ſub obſcuro nomine magna latent)
Vantius eſt omnes per caſus ſtulta Magiſter
(Interdum rebus nomen & omen ineſt)
Beſtia, per femora, & ventrem nasúmque Lyſeti,
Parrhiſia nuper Præſidis vrbe viri,
Qui gerit Anticyris caput inſanabile quinque,
Ipſe licet medicas addat Apollo manus.
Sic ſibi conſimileis lactucas labra requirunt,
Sic putris tegmen putre patella petit.
Ac Bene nomen habet dicti præluſtre, (poetis
Vellere nam medio carmine verba licet)
Quòd bene, quã perhibẽt, dicta, benè tinctus in unda,
Non benè Romano nouerit ore loqui.
Nempe per antiphraſin ſic pro virtute probantur,
Et vitia immeritò nomina laudis habent.

Sed

Sed quis me, tumidum procul abripit æſtus in æquor?
Vela quis impellit flamine noſtra ſuo?
Tutius eſt multò, ſecreti littoris oram
Exigua cautum præteriiſſe rate,
Quàm vaſta indomito volitantem puppe profundo,
In medio, fracta naue, natare ſalo.
Ergo age, quæ lepido Paſuantius edidit ore,
Vantius Arcadici pœna metúsque gregis,
Si ſatis, & quantum libuit, didiciſſe legendo,
Cura tibi, Aonidum cura Philippe, fuit,
Exiguo facilis comprenſa remitte libello,
Vt decies eadem lecta, relecta legam,
Quæque meæ tenebras offundunt nubila menti,
Mordaceis curas, ancipitémque metum,
Hinc procul extremos abigam ſecurus ad Indos,
Et magis à nobis ſi qua remota plaga eſt;
Iucundóque queam ſatis vt feciſſe ſodali,
Qui cupit his etiam ſe recreare iocis.
Sic tibi ſint faciles ad vota pudica puellæ,
Cúmque ſuo faueant ciuica iura foro.
Iſta tibi, tenui tacitus modulabor auena,
Quinctilis quæ lux altera menſis erat,
Cùm pia longinquos eſt virgo profecta per agros,
Quæ ſalua peperit virginitate Deum,
Ac grauidam grauida & properans inuiſit Eliſam,
Iuuit & officij ſedulitate ſui;
Iam tria tranſierant bis ſenáque ſecula ab illo
Tempore, quo Deus eſt virgine natus homo;

Biſque nouem luſtris quartus ſuperadditus annus,
Præter & hos media ex parte ſecundus erat;
Ludicra tum cæcum Tobiæ dramata cæci,
Vitiferos placidè qua Nicre lambis agros,
Multorum & capitum ſaltabat bellua vulgus,
Dans incompoſitos & ſine mente ſonos.
At tu ſinceri, quamuis rude carmen, amici
Accipiens læta fronte, Philippe vale.

Eitelbergæ.

Ad Nicodemum Friſchlinum, poetam eximium, profeſſorem Academiæ Tubingenſis.

Si quid fortè nouo credis, Friſchline, ſodali,
Nulla valere diu, neque viuere corpora poſſunt,
Quæ data ſunt riſus oſoribus atque iocorum.
Ergo valere diù, præclaráque carmina poſsis
Vt ceciniſſe diu, mentémque explere iocando,
En heſterna inter promiſſum pocla, Magiſtri,
Vantius & ſciſſo nomen cui nomine Paſſa
Eſſe vides, librum, quo, ſi me iudice certes,
Lætius haud quidquam ſcriptum, riſúque iocíſque
Plenius vrbanis, ipſo me iudice vinces.
Tu verò paruum ſinceri munus amici
Accipies hilari, Friſchline, decentéque vatem
Eximium vultu, & lectum relegéſque legéſque
Hunc Paſſæ celebrem curtata voce libellum.

Et quoniam inſano iuuat indulgere labori,
Hos quoque, quos dulci quondam modulcbcr amico,
Adiunxiſſe elegos placuit, quò Paſſa Magiſter
Vantius à ſummis Benedictus ametur & imis.

Eitelbergæ, x. kalend. Septemb. anno 1579.

Ad Lambertum Pithopœum, Profeſſorem Academiæ Heidelbergenſis.

Attulit huc aliquam nobis, Pithopœe, ſalutem,
Quam meus in te ingens reddere iuſſit amor.
Mittere malueram quondam promiſſa, petita
Nunc modò, ſed nullũ, quod tibi mitterem, erat.
Nam neque Priſciades ſupereſt, iam penè recuſus
Denuò, & in totum nulla Rebecca mihi,
Nulla Hildegardis, nulla hîc Suſanna, nec vllum
Ingenij ſpecimen, nec rudis artis opus.
Editur hoc anno mihi bina paraphraſis, vna
Dat Perſî ſatyras, altera Virgilium;
Editur & Plutus Romano expreſſus Iambo,
Feſtiua antiqui fabula Ariſtophanis.
Cumprimùm dabitur mihi poſſe exempla videre,
Excuſos mittam, mi Pithopœe, libros.
Intereà noſtrî retine conſtanter amorem,
Et memor eſto meî, ſum memor vſque tuî.

Tubingæ, 6. Auguſti, 1580.
Friſchlinus tuus.

Pithopœus Friſchlino S.

Vlla tibi nunquam promittens carmina, mitto,
Sint inculta licet, carmina multa tamen;
Plurima ſæpè mihi promittens carmina, mittis,
Sint exculta licet, carmina nulla tamen.
Multa tibi poſthac promittens carmina, mittam,
Sint exculta licet, carmina nulla tamen;
Nulla mihi poſthac promittens carmina, mittas,
Sint inculta licet, carmina multa tamen.
Dic age, ſincerè, ſi quis, te iudice, certet,
Vtrius eſt noſtrûm cauſſa probanda magis?
Qui tacet, atque facit, ſi quis, me iudice, certet,
Illius eſt certè cauſſa probanda magis.
Ergo ſæpè mihi promiſſa poemata, tandem
Ni dederis, mihi te verba dediſſe, ſcias.

Eitelbergæ, XIII. kalend. Decemb.
Anno CIƆ. IƆ. XXC.

Friſchlinus Pithopœo S.

Et promiſſa tibi memini mea carmina ſæpè,
Et fateor nunquam præſtita noſtra tibi.
Da veniam. tantus diræ me turbo procellæ
Perculit, vt poſſim vix memor eſſe mei.
Nobilium proceres coniurauêre, quòd iſtud
Sint depreſſuri vîque dolóque caput.
Quidnam commiſi? vitioſos carpere mores
Nobilium aggreſſus more decente fui.

Cul-

Culpaui horribiles centauros atque Cyclopas,
Excipi à culpæ conditione probos.
Intereà nuſquam noſtris caput effero tectis;
Innocuum Princeps vix tegere ipſe poteſt.
Vſque adeò paſſim furis turbatur Erinnys.
Excuſatum igitur me, Pithopœe, ſinas.

Epigramma tuum de Priſciano meo amiſſum fuit in fatali illo itinere Heidelbergenſi, *de quo multi multa & ſtulti ſtulta loquuntur.* Quare denuò ad me mittas, velim, vt inter cœtera mea referatur poemata. Vale.

Tubingæ, 22. Ian. 81.

In Nicodemi Friſchlini PRISCIANVM VAPVLANTEM.

Cedite Germani ſcriptores, cedite Galli,
Et cum Romanis cedite Pannonij,
Cedite cum Graijs Angli, & vos cedite Iberi;
En noua vos Priſci ludificatur anus
Quid non longa poteſt æui præſtare vetuſtas?
Cum lepida Priſci virgine certat anus.
Ingenio, forma, doctrina atque arte ſuperbas
Vnica num Priſci vincere quibit anus?

Quibit,& hæc cedet Friſchlino gloria vati.
Hic tantis Priſci dotibus auxit anum.
Nec mirum,populos ipſo qui nomine vincit,
Si ſcripta Priſci vincere pergat anu.

Eitelb.13.kalend.Septemb.1579.

Ad Aetium Cephyræum, ſeu Gerardum Pontanum, veterem meum ſtudiorum à primis annis ſocium, & amicum cariſſimum & iucundiſsimum,humaniſſimúmque & facetiſsimum olim congerronem.

Ille ego,qui quondam viridi proiectus in herba,
Dum regeret curſus aura ſecunda meos,
Dulcia ſepoſitis meditabar carmina curis,
Ad vitreas Nicri lenè fluentis aquas,
Nunc quid agam ſæuis turbantibus æquora ventis,
Si quæris,vero motus amore mei:
Conſilij vacuus,fidíſque orbatus amicis,
Inter ſpem fragili puppe metúmque feror.
Quin etiam ignarus venti,pontíque viarum,
Heu lacera tumidum per mare prope vehor,
Incertus quò fata vocent,vbi meta laborum
Sit mihi,quæ vitæ ſumma futura meæ.
Iam plerique mei,Doctoris nomine,claros
Diſcipuli titulos,celsáque ſceptra gerunt.

Impe-

Imperiiſque regunt populos,& legibus vrbes;
Et magnas inter gloria creſcit opes;
Iura alius,medicas alius feliciter herbas
Doctus,adit patriæ dulcia tecta ſuæ.
Aſt ego colluctans cum paupertate,ſcholarum,
Nil niſi,dum,ſuperat vita,magiſter ero.
Et procul externis lateo malè tutus in oris,
Víxque datur duram pellere poſſe famem.
Non egò ſum iuri,nec natus idoneus herbis;
A,B,me pueros fata docere volunt.
Forſitan hoc etiam mihi ſors inimica negabit,
Et mox aſſuetis coget abire locis.
Quid facias,inquis? ſortem patienter acerbam
Perfer,ſi ſapies,& ,quod es,eſſe velis.
Sic faciam. Quemcunq; aſinum ſors dura creauit,
Adſueſcat ſaccos is benè ferre ſuos.
Si ſaperem,ſordes odiſſem iure ſcholarum,
Plurima quæ patri damna tulêre meo;
Senſit idem frater Βασιλεὺς,*quem Leidita tandem*
Cum miſera miſerum coniuge texit humus:
At nunc tanta meæ comes imprudentia vitæ,
Vt nequeam illorum cautior eſſe malis.
Sed quid ago? querulos facit indignatio verſus;
Quod natura negat,ſuggerit ira mihi.
Attamen hunc ſaltim capio de carmine fructum,
Quòd duræ ſenſus carmine ſortis abit;
Nec mihi vel titulos,vel claræ nomina famæ,
Sed requiem luctus carmine quæro mei.

Hoc eſt, cur rigido conſtrictus membra metallo,
Triſte rudi releuet carmine foſſor opus;
Cantat &, aduerſis lembum qui protrahit vndis
Obrutus impuro crura manúſque luto;
Is quoque, qui lentis laſſat ſua brachia remis,
In numerum liquidas nauita pulſat aquas;
Et qui continuo vitaque víaque labore
Fractus agit tardas in loca nota boues,
Paſtor, arundineo captat noua gaudia cantu,
Súbque caua reſidens rupe recenſet oues;
Quinetiam manibus famulæ data penſa trahentes,
Ingratum vt fallant tempus onúſque, canunt.
Me quoque delectant inter curáſque metúmque,
Quæ mihi de tenüi carmina fonte cadunt.
Ergo miſer quoniam cœpi ſemel eſſe Magiſter,
Et terere inuiſæ vilia ſcamma ſcholæ,
Eſſe miſer pergam conſtanti pectore, & æquus
Conficiam, vitæ quod mihi reſtat iter.
Optima ſperabo, metuam ſed peſſima, & idem,
Quod me cunque volent numina ferre, feram,
Et tacitus duræ fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum, nec ſecat ipſa, valet.
Sic ego diſcipulos, quamuis rudis ipſe, peritos
Efficiam ſtudio ſedulus vſque meo;
Et licet ipſe infans, tamen efformabo diſertos
Doctores. non hinc gloria parua venit;
Obſcurus cum nobilibus, cum diuite pauper,
Vix benè ſub lacero culmine tutus agam.

Et

Et vetus exemplo proprio verbum eſſe probabo,
Diſcipulo doctor vincitur ipſe ſuo.
Intereà propria placidus ſub pelle quieſcam,
Compenſans multis triſtia multa bonis.
Quis ſcit? fors aderit ſuperis tranquilla ſecundis,
Diſiectis toto nubibus orbe, dies;
Et benè qui merito Doctori debita reddat
Præmia, de multis forſitan vnus erit.
Qui multo fractum mentem corpúſque labore,
Auxilio dignum iudicet eſſe ſuo.
Hunc vtinam tandem felici ſidere nobis
Ducat ab Eoo lucifer axe diem;
Sin minus; aduerſis opponam fortia rebus
Pectora. fortis is eſt, qui miſer eſſe poteſt.
Sed ſatis eſt. nimijs cumulem ne damna querelis,
Hîc mihi ſolliciti meta doloris erit.
Rebus in incertis ſis nunc mihi certa γέφυρα,
Et ſeruos laceræ languida vela ratis.
Sic optata tuo ſemper fortuna labori,
Sic faueant puppi portus & aura tuæ.

Eitelbergæ, v. eid. 11xbreis, anno
CIↃ.IↃ.LXXIX.

Lamberto Ludolfo Pithopœo, Dauētrienſi, Academiæ Heidelbergenſis Rectori magnifico, Præceptori meo ſumma fide colendo & amando.

L *ucet vt æquoreis ſurgens Arcturus ab vndis*
A *tlantis atque ſpica reſplendet iugo,*
M *ortis iniuit iter non euitabile cuiquam,*
P *rudentia Lampertus ac vera fide*
E *ximius. cecidit fatali caſus ab enſe,*
R *egno receptus eſtque ſummo cœlitum,*
T *itan vt iuſta peragrauit pondera Libræ,*
V *t lux diurna cornibus Lunaribus*
S *e dedit æqualem cernendam. namque Pipinus*
P *robanda nulli facta perpetrauerat.*
I *llicito fuerat detentus amore puellæ,*
T *urpique ductus improbæ commercio.*
H *uius eum cauſſa Lampertus voce ſonora*
O *biurgat, iſtud improbè factum docens,*
P *ræceptóque Dei, factum pugnare, ſeuera*
O *mnem Dei lege vetitam libidinem.*
E *docet hæc regem, qui verba docentia verum,*
V *ultu minaci, non placere pectori*
S *ignificare ſuo cœpit, ſubitóque prehenſum,*
D *octo pióque corde nobilem iubet*
A *eratis claudi muris, vitáque carere.*
V *erùm neci Lampertus vt datus fuit,*
E *uectus magni ſuprema palatia cœli*
N *unc incolit iunctus beatis angelis.*

Tu

T u quoque Lamberti nomen ſortite decorum,
R utilantis inſtar lampadis fulgens prais
I ngenij largo diuini flumine multis;
E xcultus es primo iuuentæ tempore
N on humili vatum ſtudio; te diuite vena
S ublimibus modis ſtruentem carmina
I pſæ Pierides mirantur, Apollíne vati
S emper ſuo verſus miniſtranti ſacros.

Eidem.

L	ucet vt exſurgens	A	rcturus ab æquore, vita	M
P	erdidit egregio	E	xcellens vir pectore, robu	R
T	ale gerens animis,	V	t nulla vincere vire	S
P	oſſent, Lambertus	I	us virtutémque coleba	T.
H	O c quia fers nomẽ	P	ulcrum, Pithopœë, ſeren	O
E	ÿcis ex animo	V	itium, Dominúmq; vereri	S.

Ἐν τῆς Σοφίας.

Heidelbergæ, 17. Septembr. anno 1574. quæ dies olim ſacra fuit S. Lamberto Epiſcopo Traiectenſi, à Dodone fratre pellicis Pipini, quem ob adulterium reprehenderat, crudeliter trucidato circa annum Chriſti 700.

Tuî obſeruantiſsimus
Caſparus Slickius.

Ad Caſparum Slickium, adoleſcentem ingenioſiſsimum, & diſcipulum cariſsimum, ἀμοιβὴ pro carmine miſſo.

Macte noua virtute puer, ſic pergito, & inter
Egregios olim doctis cenſebere vates.
Aſt quæ te moneo, memori, fac, mente recondas;
Ne nimiùm ingenio fidens & dote benigna
Naturæ, in ſtudijs ſtudium curámque remittе;
Tum quoq; ne temerè calamum mentémque fatiga
Legibus his, nimiùm duras quas carmine figis
Ipſe tibi, multos vt longo ex ordine verſus
Inchoet aut claudat, vel claudat & inchoet illa
Littera, præſcripti quam poſcit ſyllaba verbi,
Non ea, quam legeres tàm dura lege ſolutus.
Libera mens Deus eſt; gens ſunt diuina poetæ.
Ergo bonos etiam tales decet eſſe poetas.
Libertatis habe iuſtam ſuper omnia curam,
Seu vixiſſe piè cupias, ſeu ſcribere rectè.
Nec tibi titillet teneram hæc perſuaſio mentem
Stulta nocénsque, graui ſemper coniuncta labore,
Inuitum vt potiùs, multùm luctante Minerua,
Extruſiſſe velis verſum, quàm ſpontè fluentem
Diuitis ingenij largo depromere fonte.

xv. kalend. Octobr. anno 1574.

Paro-

Parodia epigrammatis Martia-
lis, libro 2.

Si qua videbuntur chartis tibi lector in iſtis, &c.

ad Lectorem, ſi fortè, horum
poematum.

Eſſe tibi dices, chartis, ſcio, Lector, in iſtis
Multa iocoſa ſatis, multa latina parum.
Eſt meus hic error, fateor. mala carmina ſcribo,
Dum ſtudeo verſus annumerare tibi.
Hi tibi ſi placeant, & me peccaſſe negabis,
Tunc ego te dicam cordis habere parum.
Noſtra quidē mala ſunt. nec enim manifeſta negabo,
Fors, quæcunque facis, non meliora facis.

VI. eid. Quinctil. 1566.

Parodia & paraphraſis verſuum ex
Poetarum noſtri & ſuperioris ſecu-
li facilè principis, GEOR-
GII BVCHANANI
Baptiſtæ, *a*

εἰς τὴν εὐγένειαν καὶ τὴν κενοδοξίαν, ſcripta
in gratiam mei Adriani
Borckij.

Virtutis olim vertimus iam nomina.
Virtute nulla ſplendidi, ſed ſplendidis
Titulis ſuperbi fallimus vulgus rude.

Nulla præſtamus reliquis virtute, ſuperbis
Sed titulis vulgus rude fallimus, & phaleratis
Ducimus hoc dictis, libuit quocunque, & inani
Fulgentes pompa, tumidis ſermonibus aureis
Implemus vacuas, & ſtercora vendimus auro.
Scilicet hæc noſtri ſumma eſt ſapientia ſecli;
Hæc eſt nobilitas, hæc eſt doctrina fidéſque,
Hoc eſt eloquium, vafríque ſcientia iuris.
Qui prauum, rectum faciunt, his præmia dantur
Maxima. nam quæſtus nunc longê vberrimus hic eſt.
Quid facias? voluit, vult, & volet omnibus annis
Artibus his falli vulgus rude. recta monentes
Et fugit, & fugiet, Druſonem vt debitor æris.
At ſua qui magno cum fumis ſomnia vendunt,
Hos fixis oculis, patulo admiratur & ore,
Ac velutî cœlo demiſſum numen adorat.
O miſeras hominum mentes, o pectora cæca,
Qualibus in tenebris, quanta in caligine rerum,
Mortales quantumcunque hoc eſt degimus æui.

IV. kalend. Decemb. 1579.

Parodia verſuum Virgilij. *3.* Aeneid.

Ergo agite & Diuûm ducunt quà iuſſa &c.

Ergo agite, & Chriſti quà ducunt iuſſa, ſequamur;
Oremus Chriſtum, & cœleſtia regna petamus.
Nec procul hinc abſunt; adſit modò gratia Chriſti,
Vnica lux lætos cœli nos ſiſtet in aula.

IV. Non. Quinctil. 1580.

Paro-

Parodia verſuum Ouidij, 5. Triſt, Elegia 14.

Qui monet, vt facias, quod iam facis &c.

Ne de te credas, quia ſic facis, omnia dici.
Virtutum vitijs nomina ſæpè damus.
Qui laudat, quòd agas, quæ non agis, ille probanda
Vrget, & obſequio monſtrat agenda ſuo.

Neap. Nemet. eid. Quinct. 1584.

Parodia odes 3. Horatij, libri 4. *Quem tu Melpomene ſemel* &c. in D. Iacobi Monavu, Patricij Vratislauienſis gratiam & honorem modulata Neapoli Nemetum, eid. Quinctilib. anni 1581.

AD IESVM CHRISTVM ODE εὐχαριστική.

Quem tu Chriſte Deus, ſemel
Naſcentem placidè numine fouerìs,
Illum non metus inferûm
Euertet; rabidæ non hominum minæ
Recto deijcient gradu;
Captum blanditijs nec Venus improba,
Non conuiuia, nec ioci,
Non famæ ſitis, & cura pecuniæ

Reddent diſsimilem ſuî:
Sed quæ, lex Domini dogmata continet,
Et vatum tabulæ ſacræ
Accendent ſtudio perpetuo tuî.
Rerum conditor optimus
Dignatur miſerum me quoque ciuibus
Regni adſcribere cœlitum,
Et iam regna minùs curo fugacia.
O deſiderium tuî
Quantum Chriſte meo pectore concitas?
O duris quoque cautibus.
Cor ficture, velis ſi modò, cereum!
Totum muneris hoc tui eſt,
Vitam reddideris quòd mihi perdito;
Mente & ſenſibus integris,
Quòd ſpirans, hilarè perfruor, eſt tuum.

Epigramma in meî memoriam relictum in Muſeo Roſtochiano, in platea cygnea, cùm Roſtochio, IV. idus Iunias anni à nato Chriſto 1558. videndi & audiendi magni illius PHILIPPI MELANCHTHONIS, & maioris ingenij cultus capiendi cauſſa, Vvittembergam diſcederem.

Incolui Muſis has quondam deditus ædes,
Lambertus nomen cui Pithopœus erat.
Ac licet haud largæ mihi ſint ad carmina vires;
Hæc tamen hoc poſui metra legenda loco.
Dulcia ſacrorum colui commercia vatum,
Et pars hæc ſtudij grata fuêre mei.
Veſpaſius, Clemens, Chytræus, & ipſe Bocerus
Mî ſocij ſuaues carmina propter erant;
Cum quibus hîc multas medijs cum noctibus horas
Abſumſi, doctos peruoluendo libros.
Leucoreæ tandem famâ ſtudióque Philippi
Incenſus, petij mœnia clara ſcholæ.
Quiſquis es ergo mihi ſucceſſor, fauſta precatus
Hîc habita, ter tres & cole ritè deas.
Ipſe tuos etiam Chriſto commendo labores,
Et ſtudijs opto tempora læta tuis.

In Grammaticam Græcam Clenardi.

Si tibi grammaticam cura eſt perdiſcere græcam,
Hunc lege, ſed magna ſedulitate, librum;
Nec legiſſe ſemel tantùm, ſatis eſſe putato,
Sed præcepta quater lecta, relecta lege,
Omnia ſint animo penitùs dum fixa tenaci,
Quæ breuis, at doctus continet iſte liber.
Nec varijs mentem ſcriptis confunde legendis.
Res etenim ſtudijs noxia nulla magis.

Hæc tibi præ reliquis placeant præcepta Clenardi,
Si ſapis, hunc multùm, non lege multa, librum.

Vvittembergæ, v. idus Nouemb.
anno 1558.

In eiuſdem Meditationum Græcanicarum præfationem.

His tibi pro monitis Chriſtus, Niclae Clenarde
Aeternæ tribuat præmia lætitiæ.
Aſt ego, quod potero, rectè parebo monenti,
Conſiliúmque ſequar ſedulus vſque tuum.

Ad patris mei manu in eaſdem Meditationes de nomine χρῶμα, quædam notata verba.

Hæc ego poſt longum, genitor cariſſime, tempus,
Adſpiciens digitis verba notata tuis,
Hei, quantos imo gemitus de pectore traxi,
Cum repeto vitæ tempora grata tuæ.

Vvitembergæ, Nonis Iuniis,
anno 1559.

In C*ALVMNIAM*, carmen pro veteri more canendum iuuentuti ſcholaſticæ Dauentrienſi propoſitum.

Iam Sol præterito bilancis aſtro,
Sæui tergora ſcorpionis vrget,

Et rerum ſtabilis viciſsitudo
Depulſo reuocat calore frigus;
Iam quas arboribus comas amœna
Aeſtas attulerat, nouóſque flores,
Acris ſternit hiems humi, necátque;
Iam terris propiore Sole clarum
Nocturnæ minuunt diem tenebræ,
Occasúque ſuo maris procellas,
Nimboſi ciet Orionis aſtrum,
Cum ventis pluuias ferens frequentes.
Vos ergo pueri monet ſcholarum
Conſuetudo vetuſta cantilenas
Lætos vnanimi ſonare voce,
Quæ verum teneris Dei timorem
Inſtillent animis, metúque veſtra
Triſti corda queant leuare noctis.
Quos ergo numeros damus, decenter
Doctis grex canito dicate Muſis.
Mores fert animus calumniantum,
Naturæque referre prauitatem,
Inter tam varios, quibus grauatur
Humanum miſerè genus dolores
Nullos arbitror eſſe triſtiores,
Quàm quos dira ſolet calumniantum,
Spem præter meritúmque ferre lingua,
Dum iuſtos perimunt & innocentes,
Et verum ſimulant tamen fauorem
Verbis blandiloquis, fidémque veram,

Cùm cor inſidijs calumniiſque
Plenum ſit varijs, & arte mira
Occultant ſtudium bonis nocendi,
Quo mens æſtuat intus inſtar ignis.
Arrident hilares & ore blando,
Aſſurgunt faciles, locóque cedunt,
Nec coràm meritum negant honorem,
Dextras inijciunt, nec offerenti
Subducunt, placidè ſuauitérque
Magna ſignificatione mentis
Et certæ fidei, genúque flexo,
Nudati caput obuios ſalutant.
Et grandes titulos honoris addunt,
Addicunt operam, ſuámque ſpondent
In magnis ſtabilem fidem periclis.
Quid multis? ita ſe calumniator
Coràm perfidus applicare nouit
Ad mores hominum, ſuis vt ipſum
Se credant manibus Deum tenere,
Dirum dæmona cùm manu prehendant.
Nam dum quis ſibi rem, rudis dolorum,
Cum fido putat eſſe conſodale,
Voces intereà calumniator
Fallax ambiguas, ab ore captat
Dicentis, ſubitò malam retorquens
In partem, ſtudio bonóque fine
Quidquid dixerit alter egerítque.
Exceptas ratione tam ſceleſta

Clàm

Clàm voces aliјs refert, probari
Quîs mendacia ſcit calumniáſque,
Et quos, ſi cupiant, bonis nocere
Nouit poſſe ſcelus, ſimul nocendi
Aptus ſe locus atque tempus offert.
Voces hi cupidè calumniantum
Admittunt patula, & libenter, aure,
Et quidquid ſceleratus impudenter
Effinxit nebulo, illud omnę credunt
Ipſa verius eſſe veritate.
At cur tam facili fidem parare
Impoſtor queat hic ſibi labore,
Non & difficilis labor referre.
Eſt ingens hominum, nimíſque præceps
Multorum leuitas, vt eſſe vera
Hæc credant etiam, quibus reclamat
Conſtanter ratio negotiorum,
Et quæ perſpicuè docere ſenſus
Communis queat eſſe falſa prorsùs.
Hæc præter, ſimilis ſuæ requirit,
Naturæ ſimilem. ſit inde, promto
Ad res quaslibet vt calumniáſque
Attendant animo, quibus placere
Conſuetudo ſolet calumniantum.
Poſtremò iubet, ἀκροᾶσθαι ἀμφοῖν
Ἴσως, *lex hominum, Deíque; verùm*
His audire ſatis calumniantum
Eſt voces, nihil interim putantes

Se peccare, rei pari recuſent
Quòd cauſſam ſtudio, paríque curâ
Cognouiſſe, velut ſacrata legum
Cunctos iura monent & æquitatis.
Idcircò memori gerens repoſtum
Hoc fallax animo calumniator,
Quantocunque poteſt, labore curat,
Primas vt teneat calumniando
Partes, non dubitans, nocere nulla
Quin poſſit grauiùs via modóque,
Quàm præiudicijs calumniíſque
Si mentes teneat præoccupatas.
Hinc doctis ἀπὸ τοῦ καλεῖν vocatam,
Apta voce, calumniam videmus,
Quòd iuſtos vocet hæc & innocentes,
Sæpè in iudicium, trahátque ſummum
In diſcrimen honoris atque vitæ,
Erratum leue propter & minutum.
Nonnullis ἀπὸ τοῦ καλὸν μισεῖν
Hanc peſtem placet eſſe nominatam,
Quòd ſemper ſoleat calumniator
Rectè dicta vel acta fraudulenter
Deprauare, malignitérque veræ
Virtuti meritam negare laudem.
Exemplis nihil eſt opus vetuſtis,
Exemplis nimis heu nimíſque multis
Aetas noſtra ſcatet calumniantum,
Vix illæſus ab his manere quiſquam

Vt

Vt poſsit nebulonibus ſceleſtis,
Sit quamuis pius & modeſtus, inquit
Viuat ritè ſua vocatione;
Immò, quod magis eſt malum dolendum,
Quantò quis probior modeſtiórque,
Hoc crudelior eſt calumniator.
Clandeſtina odia ergo ſycophantæ
Aduersùs quoniam, grauésque morſus,
Humani ſupereſt nihil remedi;
Tu nos inſidias calumniantum
Contra multiplices tuere Chriſte,
Qui vis & potis es iuuare contra
Dirum nos odium calumniantum.
Totum, fac, vigeat tui per orbem
Lux verbi, tenebrísque diſsipatis
Errorum, ſcelerum, libidinúmque,
Hanc contra ſinito nihil malignos
Vi dolóue valere ſycophantas.

Dauentriæ, in patria ſcriebam VII. kalendas Nouembris, anno 1560. nomine & rogatu Clariſsimi viri, D. Iohannis Nouiomagi, ſcholæ Dauentrienſis eò tempore Rectoris, meíq; quondam præceptoris optimè de me meriti, tunc verò collegæ cariſsimi & ſumma obſeruantia colendi.

In Momum.

Omni carere debet ille crimine,
In alterum paratus eſt qui dicere.

In mala Punica ad Gerardum Verſtegum cum hydrope conflictantem.

Mala tibi nuper miſi duo, nunc tria mittens
Opto, tuum tollant hæc bona mala malum.
Eitelb. 4. eid. Februar. 1572.

Coniunctionum NE & VT differentia.

Ne / *Vt* } *fiat, metuo,* } *nolo* / *cupio* } *quodcunq́ peractum.*

XII. kalend. Iunias.

LIBERTAS.

Eſſe tuus, quantum pietas ſinit, vſque labora;
Ille ſit alterius, qui ſuus eſſe nequit.

Idem aliter.

Semper ad alterius ne pergas viuere nutum,
Viuere diſce tibi. nam moriêre tibi.
VII. kal. Quinctil. 1579.

In Debitores.

Compellanda etiam bona nomina, ne mala fiant,
Iuriſprudentum regula cauta monet.

Abbas

Abbas ſordidus.

Eſca datur gratis,vinum,mos eſt,vt ematis.
Qui negat hunc morem,fontis bibat ille liquorem.

Conuiua παῤῥησιάζων.

Fercula da gratis vinúmque,haurire paratis:
Si fugis hunc morem,fuſtis patiêre dolorem.

In Xantippen.

Res tuas vxor tibi fœda ſerua,
Et meas poſthac mihi linque tutas,
Vt meo luctus procul abſit atque
Rixa cubili.

In Penelopen.

Res meas vxor mihi fida ſerua,
Et tuas cura vigili tuêre,
Vt meo luctus procul abſit atque
Cura cubili.

Amico vocanti ad cœnam.

Odi Perſarum menſas:mihi ſufficit ater
Panis,olus,lardum,caſeus,oua,pyrum,
Fuſtibus & tunſus,butyróque vnctus aſellus
Aut halec,& cum ſimplice lacte nuces.
Adſit lætitiæ vinum dator,& bona fandi
Copia,conuiuæ tres numeróue nouem.

Tres tantùm malo. gemina quia cincta ſorore,
Ducit in aprico Gratia nuda choros;
Néue minor ternis, nec ſit mihi turba nouenis
Amplior. eſt aliud quicquid vtroque, nocet.
Si vocer, ad talis veniam conuiuia menſæ.
Hæc, tibi quæ poſſim reddere, fercla probo.

Neap. Nemet. 21. Septemb. 1583.

Ad SIMONEM STENIVM, virum optimum & doctiſsimum, collegámque humaniſsimum, & amicum cariſsimum ac iucundiſsimum.

Panorium, fortes Nemetes, Treuiríque vetuſti,
Haud pridem nouus eſt auſus ſcripſiſſe poeta;
At contrà, Treuir, Panorium, acrésque Nemetes,
Sunt olim ſoliti veteres ſcripſiſſe poetæ.
Vtra ſit ex iſtis melior ſententia, ſi me
Legibus & certa poteris ratione docere,
Iudice me, Niſam & tu Phyllida ſolus habebis,
Spontéque Grammatici Magni dignabor honore.

ibid. 15. Iunij, 1584.

Ad eundem.

Intrepidi noſtro Nemetes iam carmine currunt;
O vtinam poſſent currere ſic Treuiri.

Pano-

Panoriûmque audet Panorium ſcandere contrà;
Nondum quo Treuiri ſe tueantur, habent.

22. Iunij.

Stenius Pithopœo S.

Si uis Cluſinis conuiua recumbere lectis,
Nec cœnare times modica apponenda patella,
Seu ſit ouilla caro, ſeu torridus ignibus anſer,
Hora te quinta, noſtro pro more, manebo,
Vxorémque tuam, conuictorémque Dobinum,
Quem noſtris verbis hortabere, fercula noſtræ
Ne ſpernat menſæ; quod forſan deerit, illud
Supplebit ſermo lepidus, noſtrásque Lyæus.
Ludicra mitte hodie certamina Grammaticorum,
Et Nemetum cauſſam, & num longo ſit pede Treuir.
Tu quotus eſſe velis, reſcribe Ludolfe, Valéque.

VIII. kalend. Quinctil.

Pithopœus Stenio S.

Quid fruſtrà quæro, Nemetes, an rura Nemetes,
Et ſua Treuir aret rectiùs an Treuiri?
Tandem ergo valeant Nemetes, fortéſue Nemetes,
Et ſua vel Treuiri, vel iuga Treuir amet.
Gratius eſt noſtro poſitum ζήτημα palato,
(Nil profecturo cur bone littus arem?)
Et Nemetes præ quo poſſunt, & iure Nemetes,
Cum Treuiris Treuir, ludus & eſſe iocus.

Vicinum irrumpens ſus improba nuper in hortum,
Omne meum ſæuo dente peredit olus,
Et placidi rumpens iampridem tempora ſomni,
Stridulus aſſuetas expulit anſer aues.
Mactauêre ſuem lato venabula ferro,
Vnáque de toto eſt corpore perna ſuper;
At capite & pœnas anſer pede pendit vtroque,
Nulláque, qua poſſit, penna, volare, ſuper.
Improba feruenteis ſus immergetur in vndas,
Stridulus ardentem ſentiet anſer acum.
Sic violare mei cauleis ſus deſinet horti,
Sic anſer ſomnos impediiſſe meos.
Sed quia ſum tantis ſolus prædonibus impar
Perdendis, fidas vndique quæro manus,
Pinguia quæ properent fumoſa tergora pernæ,
Anſeris & toſtam diripuiſſe cutem.
Ergo tuam promtus Simo tecum adduce Rebeccam,
Quincta recedentem cùm feret hora diem,
Huc, vbi vitiferos Nemetum, vel fortè Nemetum,
(Nam breuis hîc, an ME ſyllaba longa ſiet,
Súsque ego, déque fero, nec floccum interdare curo,
Aut ſi quid cicco vilius eſſe poteſt.)
Augurijs actus Chriſti, rellinquere colles,
Notáque Panoriæ tecta redire ſcholæ,
Vilia conuaſo raræ dictata cathedræ,
Quæ Nicer, & paruo flumine Speira tulit.
Ille potens cœli, terræ, Pontíque creator,
Propitia noſtrum fronte ſecundet iter.

Tu

Tu facito, nuper promiſſum abſoluere munus,
Sis memor, & certa verba probare fide.
Vatibus hic mos eſt ſua ſoluere debita verbis,
Et mea nil aliud promere Zona poteſt.
Sed ſatis hæc dictam propera, nec ſolus, ad horam,
Et modico dextrum cingitor enſe latus,
Vt facili nobis cedat victoria Marte;
Cúmque ſuo pœnas anſere perna luant.
Optima pauper erunt & ſimplex fercla voluntas,
Sumtáque de medio libera verba foro.
Condiet Heimbachijs hæc natus collibus humor,
Quem mea non magno cellula vaſe capit.
Paucula conuiuis paucis & paruula ponam
Pocula, contractis euacuanda labris,
Parua quidem, ſed quæ timidos mutósque, diſertos
Et faciant acreis ter repetita viros.
Si placet, hæc inter magni me copia riſus
Deſiet, hæc nobis ludicra metra leges;
Imperium ſi fors hoc noſtrum ferre recuſas,
Ipſe tua ſecum fer leuiora domo.

Neap. Nem. 12. kalend. Septemb.

In Homerum & Ouidij Metamorphoſes.

Horum carminibus nihil eſt, niſi fabula, cœlum;
At mihi, cui cœlum fabula, nemo placet.

Ingenium eſt alijs aliud; ſua cuique voluptas;
Sit tua ſponſa tibi, ſit mea ſponſa mihi.
Pace mihi liceat moroſi dicere veſtra
Grammatici; veſtra hîc regula crimen habet.
Non capit à planis pedibus cognomina Plautus;
Eſt maior Plauti gratia laúsque mei.
Vnica de Lauto, me iudice, littera Plautum
Efficit, vt ſlitem lis odioſa ſuam.
Credite, non ludo. nam ſunt mihi dramata Plauti
Nil niſi lautitiæ delitíæque meræ,
Ambroſiæ ſucco, Siculísque in montibus orto
Melle mihi, & quouis nectare grata magis.
Quòd ſi (quemq; trahunt proprij figmenta cerebri.)
Fortè minùs ratio nominis iſta placet;
En aliam vobis, vicina voce petitam;
Accius à plaudo nomina Plautus habet.
Sarſina quem genuit, cultiſsima dramata Plauti
Attentè quiſquis lecta, relecta leget,
Huic Latiæ cedet veriſsima laurea laudis,
Et lætæ Aonides, Plaudite, voce canent.
Romulidas inter Varro doctiſsimus omnes
Tanta tibi laudis præmia, Plaute, dedit,
Ipſe ſuis dicens, Muſis comitatus Apollo
Si velit humano more modóque loqui,
Cuncta peregrina linquens idiomata linguæ
Non niſi Plautino ſoluerit ora ſono.

Tul-

Tullius & gentis laus magna Terentius Afra,
Dulceis Plautinis fontibus hauſit aquas.
Ergo tibi Plautus placeat, lectúsque legatur,
Verè Romano qui cupis ore loqui.
Eitclb. poſtridie Brumæ, 1584.

In Terentium.

Munda tibi & propria eſt Romana oratio cordi,
Alteriúsque ſtudes cautior eſſe malo?
Sedulus aſsidua terito noctéſque diésque,
Afri prudentis dramata culta, manu.
Nec legiſſe quater tibi ſit ſatis, vſque morare,
Et decies eadem lecta, relecta lege.
Inuenies aliquid ſemper, non antè notatum,
Et capies operæ tædia nulla tuæ.
A tero, Grammatici, quia pace Terentius ortum
Eſſe reor, veſtra, hunc ſedulus ergo teram.
Ibid. pridie Brumæ, 1584.

In Ciceronem.

Ἀιὲν ἀειστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,
Cur nimiùm cupido laudis, in ore geris?
Geſsiſti, fateor, res magnas laudéque dignas
Perpetua; Latij gloria, Marce, ſoli.
Roma patrem patriæ te libera dixit, & idem
Eloquij meritò diceris esque parens.
Iſta tibi nemo rerum detraxerit æquus
Arbiter, vt ſit vel Momus & ipſe Cato;

Non ſine ſed cauſſa, verum ſine fine modóque,
Imperij repetis fortia facta tui,
O fortunatam natam, Nonáſque Decembreis
Immodico paſſim dum vehis ore tuas.
Hæc tibi nobilium peperêre Ducúmque potentum,
Te quibus illuſtris Conſule Roma ſuit,
Inuidiam, Tulli, atque odium implacabile, & iram,
Patricios veteres dum nouus vris homo.
Et tulit exitium tandem tibi triſte tuíſque,
Vera quidem, verùm libera lingua nimis.
Parua ſed apta igitur narrari (ignoſce fatenti)
De te mutata hæc fabula voce poteſt;
Si tacitus paſci coruus didiciſſet, haberet
Plus dapis, à rixis liber & inuidia.
Qui ſapit, imperij fugiat priuatus honores,
Et ſtudeat letho cautior eſſe tuo.

Neap. Nemet. kalend. Decemb. 1582.

In Virgilium.

Virgula Virgilium faciens diuina poetam
Aſtra ſuper claro vertice celſa vehit.
Græcia victores vincebat victa Latinos
Ingenio, lingua, moribus, arte, lyra.
Græcia, Virgilio iam cedit vate, Latinis,
Ingenio, lingua, moribus, arte, lyra.

IV. Nonas Decembr. 1582.

In

In Catullum

Carmina docta quidem (fas ſit mihi, dicere verum)
Et tibi de pleno fonte, Catulle fluunt:
Sunt numeri dulces, variíſque decora figuris,
Nec procul à Latio metra remota choro;
Munda quoque, è medio deſumta, ſuetáque verba,
Et placet eloquij publica forma tui;
Ingenuis etiam condita poemata ludis
Sunt tua, ſunt ſalibus gratáque ſæpè iocis;
Ingenium, fateor, præſtans, mirúsque relucet
Carminibus genius, docte Catulle, tuis;
Laudibus his, nulli cedis, me iudice, vati,
Seu prior hunc ætas, poſtera ſiue tulit.
Hoc tamen ingenium, ditémque in carmina venam,
Cum ſpurco vitiat carmine ſpurcus amor.
Ingenioſa quidem ſatis eſt tua Muſáque ſupérque,
Caſta ſed eſt eadem Muſa, Catulle, parùm.
Lesbia laſciuis nimiùm tibi cognita ludis,
Et nimium, ficta Lesbia voce placens,
Et tibi laudatus nimium paſſerculus, iſtas
Ingenij laudes imminuere tui.
Pace tua, uerum liceat mihi, Quincte fateri,
Eſt morum maius, quàm decus ingenij.
Malo; rudis mihi ſit, ſed caſti Muſa pudoris,
Quàm ſatis exculta, & Muſa pudica parùm.
Exigui cultus laus, ingenuíque pudoris,
Ingenij largas uincit & oris opes.

Poſtridie Non. Decemb. 1582.

In M. Antonium Muretum, Oratorem & Poetam præſtantiſsimum.

Gloria ſermonis, Tulli, tibi prima Latini
Debetur. poſt hunc prima, Murete, tibi.
Si tàm caſti eſſent mores, quàm lingua diſerta,
Quem tibi præferrem, nemo, Murete foret.
O vtinam non hac deſpectus parte iaceres.
Moribus eſt caſtis lingua diſerta minor.

xvii. kalend. Ianuar. 1582.

In Romulum fratricidam.

Quò regni impellat mortales dira cupido,
Exemplo oſtendis, Romule ſæue, tuo.
Solus erat Remus frater tibi, Romule, ſtabant
Et nondum Romæ mœnia parua tuæ,
Hunc tamen, vt ſolus regnes, tua dextera ſternit,
Et factum excuſas relligione tuum.
Scilicet ille nouæ muros tranſcenderat vrbis.
Hæc ſpecies facti, non tibi cauſſa fuit.
Sola tibi fratrem feſtina cæde necandi,
Imperij & ſceptri, cauſſa, cupido fuit.
Pocula, prata, domos non rarus donat amicus,
Qui velit imperio cedere, nullus erit.

Prid. eid. Decemb. 1581.

In

In Camillum exſulem.

Quæ benefactori reddat leue præmia vulgus,
Exſulio ſenſti, Magne Camille, tuo.
Gens fera Gallorum, ferro vaſtârat & igne,
Romulea quondam mœnia ſtructa manu.
Tùm demùm te plebs ingrata, Camille, requirens,
Auxilio Romam ſenſit egere tuo.
Turpiter eiectus, magno reuocatus honore,
Reſtituis patriæ priſtina iura tuæ,
Nec memor accepti, generoſa mente, doloris,
Victorem victa pellis ab vrbe ferum.
Quiſquis alit forti generoſam pectore mentem,
Et patriæ quærit commoda vera ſuæ,
Ingratos etiam ciues, ſi poſsit, ab hoſte
Liberet, exemplo, Magne Camille, tuo.

Eidib. Decemb. 1582.

In Syllam Dictatorem.

Romani Syllam & veteres dixêre Pelaſgi,
Ex albo rubeus cui color oris erat.
Vt dicant etiam vero te nomine Syllam,
Scilicet innocuo ſanguine Sylla rubes.

In Cn. Pompeium Magnum.

Terna tibi triplicem pepererunt bella triumphum,
Et domito Romam victor ab orbe redis.

Europa, atq; Aſia, & Lybie, tibi, Magne, dederunt
Libera Romano cella premenda pede.
Hæc tibi dant animos, & tantis, Magne, triumphis
Inflatus, non vis ferre nequiſque parem.
Neſcis, heu neſcis, quàm triſtia fata ſuperſint,
Et tibi quid ſero Veſper ab axe ferat.
Nam Lybie atque Aſia, & pœnas Europa repoſcunt
De te, déque tuo ſemine, Magne, graues.
Ingens tu Pharia truncus calcaris arena,
Auulsûmque humeris & ſine voce caput.
Sæpè quidem haud tergo, ſed forti pectore notus,
Hoſtibus antè tuis, Magne, tremendus eras;
Sed voluit tandem Magni quoque terga videre,
Quæ volucrem verſat lubrica Diua rotam.
Contemtis felix non vlla potentia Diuis;
Stare diu ſummis numina læſa negant.
Ergo iaces ſummo deiectus culmine rerum,
Atque tuæ tecum ſplendida pompa domus.
Nec potis eſt tantæ moles tàm vaſta ruinæ,
Imperiíque vno membra iacere loco.
Per tibi deuictas ſparguntur viſcera terras,
Plurima quò cladis ſint monumenta tuæ.
Cneus in Europa, duri certamine Martis,
Quà iacet Hiſpano condita Munda ſolo,
Occidit infelix patrijs bellator in armis,
Et largo Bœtis ſanguine tinxit aquas.
Fraternam vlturus Sextus cladémque paternam,
Dum reparat Siculo bella paterna mari,

Amiſſa

Amiſſis cum claſſe viris, victricia ſigna
Vix fugiens, Aſiæ littora nota petit,
Miletiq; miſer ſæuo comprenſus ab hoſte,
Cum proprio reliquas ſanguine perdit opes.
Hæc te Magne premunt Pompei triſtia fata;
Exitus hic peſſum téque tuósque dedit.
Hæc Solymæ merces prædæ, templóque ſacrato
Quas tuus abripuit miles auarus, opum.
Qui ſapit, ille modum rebus ſeruare ſecundis
Diſcat ab exemplo Magne ſuperbe tuo.

Eitelb. eidib. Decemb. 1584.

In Catonem Vticenſem.

Tu quoque præſtanteis inter, Cato, iure referris,
Quotquot habet Latiū, Græcia quotquot habet,
Et magnos virtute viros ac pectore firmo,
Iudicio, ingenio, conſilióque potens.
Admiranda tua ſemper conſtantia mentis,
Certáque virtutis regula, vita fuit.
Omnia Cæſar erat, totúmque ſubegerat orbem,
Te ſolum, Porci, vincere non potuit.
Libertatis amor, priſcíque ſeuera decori
Præcidit vitæ ſtamina, cura tibi,
Dum noua victoris deteſtans ſceptra tyranni,
Auſus es, inuito Cæſare, Marce, mori.
O vtinam multos habuiſſes Roma Catones,
Publica quîs patriæ, cura ſit vna, ſalus;

Te

Integra adhuc veteri ſtares in flore, nec vnquam
Subijceres SERVIS *libera colla tuis.*

Bruma anni 1584.

In Cæſarem Dictatorem.

Tu quoque non vno Cæſar contente triumpho,
Omnibus exemplum Regibus eſſe potes,
Quàm metus & rapti temerè violentia regni
Vix vnquam longo tempore ſceptra gerant,
Quàm malè quæſiti non tuta potentia regni,
Et, quem quiſque odit, diſperijſſe velit.
Regni dirus amor, patriæ tibi pellit amorem,
Et genero exſtincto vis bonus eſſe ſocer.
Expulſis quondam, Bruto duce, regibus, omnis
Libera ſub primo Conſule Roma fuit;
At nunc Conſulibus pulſis, duce Cæſare, rursùm
Seruili premitur Roma coacta iugo.
Sed non, rapta tibi ſtabunt diademata paruo;
Iam properant tacito triſtia fata gradu.
Brutus adeſt, priſco cretus de ſanguine Bruti,
Frangat vt audaci ſceptra ſuperba manu.
Hic, vbi ſtat, factum attonito ſpectante Senatu,
Curia de generi nomine dicta tui,
Opprimit incautum & te nil tibi tale timentem,
Viginti cæſum vulneribúſque tribus.
Per vim, pérque dolum rapti, patríæque ruinam,
Iſta breuis regni præmia, Cæſar, habes.

Cædi-

Cædibus impleſti terras & cædibus vndas,
Et tragica tandem tu quoque cæde cadis.
A cædo apta geris cognomina, ſcilicet omnis
Vita tibi horrendis cædibus acta fuit.
Non benè Regna metu ſtant & vi. legibus ergo
Et veſtrum Reges ducite iure gregem.

18. kalend. Ianuar. anno 1584.

In Carolum V. Imperatorem Romanum.

Quàm nihil aduersùs vis atque potentia Chriſtum,
Et ſit fraus hominum, conſiliúmque, nihil;
Carolus exemplum Quinctus, Regum ille ſubactor,
Ex magno Monachus Cæſare factus, habet.

Neap. Nemet. eidib. Octob. 1582.

In Carolum IX. Valeſium, Galliæ Regem.

Nullos eſſe Deos, inane cœlum,
Credit Valeſius, probátque, quòd ſe
Factum, dum putat hoc, ait potentem.
Falsò te tamen hoc, puer Tyranne,
Exemplo proprio, putaſſe, tandem
Diſcere incipies, nimíſque ſerò,
Cùm diris cruciatibus peremtus,
Spectaclo miſerabili & ſtupendo,
Iuſta cuncta Dei potentis ira,
Toto corpore ſanguinem profundens,

Vitam cùm fremitu impio relinques,
Nuper millia quòd tui piorum
Cuncta per loca regni & innocentum,
Inſtar crudiuori & lupi rapacis,
Immani nimiùm, ferino & auſu,
Dolo perfidiáque abominanda,
Per blandam ſpeciem ſacri iugalis,
Dum Regi propriam locans ſororem,
Cæde & ſanguine polluis tuorum,
Sæuus publica feſta nuptiarum,
Mactaſti innumera, & cruore campos
Impléſti. fluuios, lacus & vrbes,
Cum tui generis probro perenni.
Diſces vàh puer & tyranne diſces,
Eſſe, quod ſcelera hæc vidétque & odit,
Iuſtum numen, & haud inane cœlum.

Eitelber. Non. Septembr. 1572.

In Dauidem Regem Iſraelis.

Otia quid poßint, quid blandæ gratia formæ,
Illicito captus Dauid amore doces;
Proditor, ingratus, mendax, homicida & adulter
Fis ſimul. hei quantum Bethſabis vna poteſt!

In Salomonem, Dauidis filium, deflectentem ad idololatriam,

Paraphraſis veteris & rythmici diſtichi,

Adam, Samſonem, Loth, Dauid, & Salomonem
Fœmina decepit. quis modò tutus erit?
Exemplo multi proprio, ſenſêre mariti,
Quàm bona ſit dulce & fœmina grande bonum;
Exemplo plures proprio ſenſêre mariti,
Quàm mala ſit dulce & fœmina grande malũ.
Quem Dominus propria decorârat imagine lucis,
Cuius & è putri finxerat oſſa luto,
Illecebræ quid Eua & poſſet vox blandula, primus
Et primo mundi tempore ſenſit Adam.
Senſit idem ereptus Sodomæ de ſulfure Lothus,
Inceſto gnatæ mixtus amore ſuæ.
Cuius mille viri, vectéſque & clauſtra lacertis,
Inſaníque impar ira leonis erat,
Samſonem, gentis decus & munimen Ebrææ,
Blandiloqua vicit vafra puella prece.
Nam quid te memorem proles Ieſſæia? quantos
Et tibi quot luctus Bethſabis vna tulit!

Bethſabis & forma felix & coniuge forti,
Sed nimis in thalamum promta venire tuum.
Debueras lapſu prudentior eſſe paterno,
Qui ſanctæ Salomon nomina pacis habes.
Quid non cœcus amor mortalia pectora cogit?
Femineis Salomon vincitur ipſe dolis.
Quem Deus inſigni ante alios ornarat honore,
Cui regno atque opibus nemo ſecundus erat,
Quo neque iuſtitia, nec acuta lumine mentis
Exſtiterat quiſquam, nec pietate prior,
Qui primus Domino ſancti fundamina templi
Iecerat, & mira ſtruxerat arte domum,
Primus in hac Domino gratos qui accenderat ignes,
Expediens veræ relligionis iter,
Cuius erat totum ſapientia clara per orbem,
Cum doctrina artes, ingeniíque vigor,
Qui poſt ſe cunctos & vicerat ante Monarchas
Diuitijs, fama, mœnibus, arte, viris,
Imperium cuius Pax & Concordia ſancta,
Et meritò humanis rebus amica quies.
Vndique firmârant, & ſæui tutus ab hoſtis
Perpetuò inſidijs víque quiêrat ager,
Et populis pleno iamdudum copia cornu
Diuitias tulerat lætitiámque ſimul,
Denique quo verè poterant ſub Principe dici
Aurea depulſis ſecla rediſſe malis,
Ille, inquam, Salomon, Reges Rex maximus inter
Omnes, & patriæ lumen honóſque ſuæ,

Inſe-

Infelix, tandem muliebri inductus amore
Deſeruit veri ſacra probata Dei,
Chemum, Aſthorethum, Milchúmq́;, idola nefanda,
Quos ſibi finxerunt impia turba Deos,
Sidonio coluit, Solymæ propè mœnia, ritu,
Ipſius his cecidit victima cæſa manu,
Et vetitos horum templis accendit odores,
Plurima, quæ fallax femina iuſſit, agens.
Sic quos ad veræ ſanctum pietatis amorem
Exemplo Salomon duxerat antè ſuo,
Hos poſt femineo reuocat mutatus amore,
Exemplo à vera relligione ſuo.
Auctor ei tanti fuit & dux femina lapſus,
Femina dulce malum, femina grande malum.
Qui ſapit, is blando maturè occurrat amori,
(Intrat amor mentem, non facilè exit amor)
Et, magnos inter Salomon Rex maxime reges,
Cautiùs exemplo diſcat amare tuo.

In Ezechiam Regem Iudæ, theſauros ſuos oſtentantem legatis Babylonicis.

Quàm ſit mens hominum, fati ſortíſque futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis,
Neſcia, quàm facili ſubeant obliuia motu
Seruatæ, fuerat quæ penè amiſſa, ſalutis,
Multorúmque, priùs largè diuina, bonorum,
Gratia quæ dederat, nec adhuc dare ceſſat in horas

Munifica dextra miſeri mortalibus æui.
Optimus & Iudæ regum ſanctiſsimus ille
Ezechias proprio facto nos commonet, atq;
Securos nimium rebus vetat eſſe ſecundis,
Cùm clemente, recens ſæua diſcrimine peſtis
Ereptus Domini dextra, ſecurior inde
Redditus exemplo, magna Babylone profectis,
Regia qui tulerant, legatis, munera, lætus,
Et fidens animi, tantóque ſuperbus honore,
Immenſas oſtentat opes, auríque repoſtos
Theſauros, grandeiſque argenti atq; æris aceruos,
Ad varios caſus ventura in ſecula clauſos,
Et quodcunque ſuæ pretioſum & amabile in aula
Secretis inerat penetralibus, omne recludens,
Spectandum hoſpitibus contrectandúmque, potentis
Et vafri Domini ſeruis fallacibus offert,
Ah miſer, haud reputans, paruo poſt tempore ſæuis
Omne id militibus dandum, & Babylona ferendum.

In Manaſſem Ezechiæ filium, à virtute & pietate paterna degenerantem.

Sub te cuncta licent, Princeps Manaſſe; licebant
Tantùm recta tui ſub patris imperio.

In Ioſiam Manaſsis nepotem, non neceſſarium bellum contra Nechum regem Aegypti, mouentem.

Quàm nihil ex omni, ſuperat dum vita, beatum
Parte ſit in terris, miſeri mortalibus æui,

Quàm citò,quàm facilè et temerè,quàm ſæpè,leuiq́;
Momento,queat hîc etiam quiſque optimus atq;
Recto corde Deum verè metuénsque coléns que,
A vera curſu pietatis,amoréque recti,
Ad vitium ſpecie recti ſplendoréque blando,
Et πολυπραγμοσύνης ſtudiũ deflectere,per quam
Rellictis proprijs aliena negotia curet,
Et ſic ex tuto portu, rebúsque ſecundis,
In mare turbatum ventis,ſæuiſque procellis,
Et triſte exitium,certaque pericula mortis,
Imprudens,magno patríæque domúsque dolore
Præcipitet ſeipſus tandem,miſer & miſerandus,
Et fruſtrà ac ſerò lacrymis deploret acerbis
Errorem factúmque ſuum:nos Optimus ille,
Et Iudæ reges inter celeberrimus omnes,
Atque mali patris ſanctiſſima & optima proles,
Commonet Ioſias,quem non pietatis egentem,
Pugnandi ſubitum ſtudium & temerarius ardor
Eripuit terris,& funere merſit acerbo.
Forte,potens armis & claræ nomine famæ,
Qui pridem Pharias victor regnare per oras
Cœperat, haud equidem antiquo de ſanguine regum
Aegypti ſatus,at qui cum diademate ſceptrum
Intulerat,faſceíſque & regni primus honorem
In genus ipſe ſuum,gemmíſque inſignis & auro
Iam populos magna Nechus ditione tenebat,

Mandante id Domino, percepti damna doloris,
Et ducis Aſſyrij immanem contundere faſtum,
Et vim non iuſtam, Phariique extendere fines
Latiùs imperij, ferro flammáque parabat.
Tùm bonus Ioſias alienis ſe implicat armis
Ipſe licet claro Dominus vetuiſſet id ore,
Conſilióque nimis calido, incautúsque futuri,
Infeſtas acies, & ſigna minantia ſignis
Contrà infert, Nechúmque ſua depellere terra
Progreditur. Quid ſit? concurritur. vnius horæ
Momento cita mors rapit, & victoria Regem
Deſerit Ioſiam. Subitò ſic maxima rerum
Gloria geſtarum, ſubitis intercidit armis,
Et multis annis, magno ſumtu atque labore
Vix benè ſeruati veræ pietatis honores,
Et Solymæ vires vno periêre duello.
Omnibus vſque adeò in terris, à Gadibus atque
Afris ad Gangen gelidíque vltra oſtia Reni,
Millibus ex multis hominum reperirier vnus
Tempore nullo vnquam potuit, poterítue, potéſtue,
Qui pietatis amans, & ſeruantiſſimus æqui
Sit licet, atque Deo ſatagens ſua cuncta probare
Integram quouis traducat iudice vitam;
Non tamen in triſteis etiam lapsúsque pudendos
Incidat interdum, prauáque libidine tractus,
Iudicióue animi cæco, & caligine rerum
Deceptus faciat, quæ non feciſſe decebat;
Pro recto vitium, recti ſub imagine blanda

Am-

Amplectens, magno tentet vanóque labore,
Quæ longè meliùs nunquàm tentaſſe fuiſſet,
Sícque miſer properet ſibi certam arceſſere cladem,
Dum veræ captat fructum & virtutis honorem.
Qui ſapit, is tanti monitus diſcrimine Regis,
Et memor humanæ ſortis, lapsúsque futuri,
Prouideat, ne, cùm pulcrè ſibi ſtare videtur,
In vitium præceps ruat, ingenteíſque dolores.

Poſtridie Non. Nouemb. 1582.

In LVTHERVM.

Ceu Leo magnanimus Decimum Martine Leonem
Eloquio vincis Magne Luthere tuo;
Detegis Auſonij fraudes idoláque Papæ,
Illius inſidias nil metuénsque minas;
Interdicta diù diuina oracula plebi,
Nequitia raſi ſæuitiáque gregis,
Quæ vitam monſtrant & veram ſola ſalutem,
Supplicio & partam ſanguine, Chriſte, tuo,
Teutonica reuocas in lucem reddita lingua
Sedulus, & clarè percipienda refers.
Quid Moſi Chriſtus, quid Legi Gratia præſtet,
Quæ priùs in tetrum merſa fuêre chaos,
Quanta ſit humanæ labes caligóque mentis,
Quàm nihil ad vitam conferat ipſa ſuam;

Quam priùs amiſſam, proprio reparare cruorę
Aeterni voluit Filius ipſe Dei;
Et quàm ſit, merito ſubnixa, & ſanguine Christi,
Sola fides, vita iuſtitiæque capax;
Qui placeant Domino mores, quæ vita probetur;
Quo velit in terris Chriſtus honore coli;
Intrepidus, mundo, Sathanáque, Luthere, frementę,
In templo, ínque ſchola, voce manúque doces.
Hæc tua laus, vllo nunquam delebilis æuo,
Cuncta licet Papæ viſcera rupta, crepent.
Vnicus eximio, tibi, corpore næuus inhæſit,
(Nulla adeò in terris gloria labe vacat)
Corporis in Cœna, Chriſti præſentia pane,
Maxima Romani petra baſiſque Dei.
Vnum hoc, maceror & doleo tibi ineſſe; ſed idem es
Et meritò ſemper cetera magnus eris.

Prid. eid. Decemb. 1582.

In Caluinum.

Vindice Martino, Germania victa, Luthero,
Eripuit Latio libera colla iugo;
Vindice Caluino, mox, Gallia victa, tyranni
Eripuit Latij libera colla iugo;
Vindice, deuincit Germania victa, Luthero,
Caluino, Latias Gallia vincit opes.
Gallia Caluino, Germania plaude Luthero;
Amborum cingant ciuica ſerta caput.

Innumeros Orci raptos de gutture ciues,
In cœlum recta ducit vterque via.
Non hominum tamē hoc opus eſt & gloria; Chriſte,
Sit tibi pro tantis gratia ſola viris.
Sola tua hos bonitas nobis largita miniſtros
Atque tubas verbi, Maxime Chriſte, tui;
Solus tanti operis tu rector & auctor; at illi
Organa conſilij grata fuêre tui.
Caluini ſimiles, ſimiles da, Chriſte, Lutheri,
Semper vt in terris ritè colaris. Amen.

Eidib. Decembr. 1582.

In Melanchthonem.

Hos inter meritò heroas cenſere Melanchthon,
Hoc pietas, virtus hoc tua promeruit.
Vtrique heroi fidum te iungis Achatem,
Et reparas vera relligionis opus.
Tela miniſtraſti tu fortia vtrique, tyranni
Auſonij contra vim variósque dolos.
Bonna, Ratisbonna, & toto clariſſima mundo,
Norica Teutonici Berga corona ſoli,
Inter Vindelicas auguſta Auguſta cohortes,
Iuréque, ſupremo commemoranda loco,
Claráq; Vangionum Vuormatia, Spiráq; magnum
De paruo Nemetum flumine nomen habens.

Auguſtana tibi ſcripta eſt Confeſſio, tecum
Carole conſilio Quincte ſtupente tuo.
Et, quamuis infeſta tibi, tamen ipſa probauit
Ingenij dotes Roma ſuperba tui,
Dum ſolida vafros vincis ratione Sophiſtas,
Et mira tectos detegis arte dolos,
Inprimis Miſſæ monſtrum, idolúmque Maozim,
Et corpus paruo panis in orbe latens.
Debitus ingenuis, te monſtratore, per orbem,
Artibus, & linguis ſplendor & ordo redit.
Tantas nulla leuis conuicia tollere Fabri,
Aut poterunt laudes imminuiſſe tuas.
Qui negat hæc, idem ſibi ſolis amabile lumen
Oſtendi claro poſtulet ille die.
Cum Magno conſtans per cuncta, Philippe, Luthero,
Caluinóque tuus ſecla vigebit honos.
His coniunctus, eras in terra Magnus, iiſdem
Nunc cœli iunctus culmine, Maior eris.
Sed petit hîc vario requiem ſpatiúmque labori,
Inque tua finem laude libellus habet.

Neap. Nemet. xv. kal. Ianuar. 1582.

NEAPOLI NEMETVM
excudebat Matthæus Harniſch
anno à nato Chriſto
cIɔ. Iɔ. xxcv.
W

Pagina 18. verſu 10. lege, Symbolas.

29.	21.	viuendi.
32.	10.	trita.
37.	23.	Extemplóque,
48.	20.	Quottidie.
54.	22.	Dixerat.
89.	16.	Namque cauis veluti,
90.	2.	caram.
128.	2.	riſus.
142.	26.	Octobris agatur.
185.	22.	ceu.
190.	3.	δυσμενέεσσι.
191.	13.	δότω.
194.	23.	doleo, mihi.
246.	26.	caræ.
253.	15.	τάμά.
271.	14.	neges.
273.	3.	AD. Philippo.
352.	22.	1578.
368.	27.	à deliberata.
378.	13.	arx.
391.	16.	Nutrit.
399.	2.	modulabar.
401.	5.	furijs.
402.	16.	mare puppe vehor.
409.	18.	Baptiſte.
417.	13.	eſt.
423.	1.	Panoriúmque audet.
425.	20.	tecum.
429.	16.	Muſa ſupérque.